



N. PARTHENII G. S. I. HALIEVTICA  
No designatur Apollo  
Et morare hanc et arundinis folia et pisces

F. Solimene In.

F. De Loussment sculp.

N I C O L A I  
P A R T H E N I I

GIANNETTASII NEAPOLIT.  
SOC. JESU.

H A L I E U T I C A




NEAPOLI, Ex Officina Jacobi Raillard.  
ANNO MDCLXXXIX.

---

*Superiorum Permissu.*





ILLUSTRISSIMO

ET EXCELLENTISSIMO DOM.

D. CAROLO

DE CARDENAS

FAMILIAE PRINCIPI,

SACRI ROMANI IMPERII

PRINCIPI MERITISSIMO

*Primo Laini, & Regni Neapol. Marchioni, Comiti  
Acerrarum, Comiti Palatino, Alcaydo perpe-  
tuo urbis Plutia in Regno Sicilia, Mili-  
tum gravis armatura Praefecto, &c.*

NIC. PARTHENIUS GIANNETTASIUS SOC. JESU.



N, PRINCEPS EXCELLEN-  
TISSIME, alterum laboris  
nostri fructum, Halicuti-  
corum nimirum opus: quod  
quidem cui nam potissi-  
mum nuncupem, quam

tibi uni, cum tuum sane jure sit? tuum in-  
quam; nam illud, te primum suadente, ag-  
gressus sum: te saepius admonente, con-  
tinuavi, te adjuvante, perfeci, te demum

probante, in lucem effero , tuo unius contentus iudicio .

Cum enim in villam tuam ad Leucopetram, te salutatum, venissem, & ad familiare colloquium sederemus, postquam multa de Poesi eruditissimè disservisses, Poetasque non paucos nostri temporis recensuisses, & quid in illis dignum laude foret, quid genio condonandum, quid temporum corruptelæ, quid denique vituperandum, ingeniosa animadversione percurrisse, ad Piscatoria, & Nautica nostra sermonē nō invitus produxisti. Quæ cum pro tua benevolentia, quam erga me multis argumentis sæpius ostendisti, plurimum laudasses: optimum tibi futurum, aiebas, si de Piscatione etiam agerem. Nam cum ea, quæ circa maris contemplationem ad Poetas spectare videatur, tria potissimum sint, Piscatoriæ nimirum Eclogæ, ipsa Piscatio, atque Ars Navigandi: ex his verò cum primâ, & ultimam partem complexus essem, jure censebas mediam non relinquendam: sic enim integrum, absolutumque opus, quod cæteroquin mancum, ac mutilum fuisset, posteritati relinqueretur. Ego etsi ab Ovidio ex nostris id primum tentatum, mox è Græcis ab Oppiano præstitum viderem; tamen, quia illius non nisi exiguum fragmentum extet, ab hoc verò multa relicta,

mul-



multa nostra ætate adinventæ : & quia  
 plurimum apud me iudicium tuum, atque  
 authoritas valeret, Bellica, quæ jam medi-  
 tabar, præsentique tempori, quo tota pe-  
 nè Europa sociatis hinc, inde populis, bel-  
 lorum facibus exardescit, congrua magis  
 videbantur, seposui, opportuno tempore  
 resumenda, & Piscationem aggressus sum,  
 tibi inter tot seculi calamitates non nihil  
 ex hac parte solatij præbiturus. Quid enim  
 honestius viro nobili, quid jucundius, quàm  
 inter inambitiosos litorum secessus, atque  
 amœnissimos scopulorum tractus innocen-  
 tissimæ piscium prædationi incumbere: ac  
 simul vitæ tranquillitati tantisper consu-  
 lere? Quod Regium profectò est, cum id  
 Reges, atque Imperatores consuevisse me-  
 moriæ proditum acceperimus. Et sane  
 quanta voluptate, & quàm sincera perfun-  
 dimur, cum in hamum, aut Mullum, aut  
 Synodonté incidisse sentimus? Quanta, cū  
 in litus expositum suavissimo odore redo-  
 lere, vivis nitere coloribus, identidem sal-  
 tare, reslire, palpitare videmus? nescio,  
 quid majus ad oblectamentum, ad deli-  
 cias, ad animi levamen possit contingere.

Verùm institutum opus adortus, ipso in  
 vestibulo adeo me consueta lues oppressit,  
 ut repente pedem referre, ac Musis valedi-  
 cere coactus sim : quibus nihil capitalius,

A 3 . quàm

quàm literatorum hominum, qua cum  
conflictatur, ætatis nostræ acerba nimium  
tabes, & penitus intoleranda. Et quoniam  
experimento doctus eram non nisi crebris  
itineribus (quod & Tullius advertebat) frã-  
gi morbum, superariq; posse (quia nimirum  
laborioso hujusmodi otio animi vires refi-  
ciuntur) ad Appulum iter me accinxi, ut  
athletico more hostem cursu præverterem,  
ac superarem, sin minus, longiores cer-  
tè inducias paciscerer. Quod quidem  
eo etiam consilio suscepi, ut multa de Pi-  
scatione, ac natura piscium, & concharum,  
Tarenti, celeberrimo nimirum in hujus ar-  
tis emporio, addiscerem. Ex qua peregrina-  
tione cum sospes Neapolim rediissem,  
viribusque ex parte instauratis, intermisso  
jam operi manus admovi: & quæ prospè-  
ra, quæ adversa usus valetudine, Hali-  
eptica, quæ infra annum absolvissem,  
triennio tandem perfeci: tot interim cu-  
ris, studiisque in diversa distractus. Hæc ve-  
rò minimè insolèns videri debet ostentatio;  
cum id natura sortitus sim, ut subito calo-  
re, abortivo veluti partu, excidant te-  
nuissimi ingenii mei sætus; frustra suis ab-  
solutam numeris formam, ac decentiorem  
cultum longiori tempore expectaturi.

Hæc autem, quæcumque sint, quoniam  
TU, PRINCEPS ERUDITISSIME, probas  
in

in lucem tuis sub Auspiciis effero, haud dubius, quin eruditis probanda sint, quæ tu, vir ingeniosissime, probaveris. Verùm, quidquid de reliquis futurum sit (sciò enim fastidiosissimum seculum esse, nec omnibus simplicè elegantiam, nullis factam coloribus, nullis comptam laciniis, nullo calamistrato ad pompam luxu undantem, nullo denique externo, ac peregrino cultu pro seculi, seu genio, seu vitio, excultam, quam tamen antiqui in hoc genere maxime postulabant, omnino probari) Attamen abundè mihi est iudicium tuum, cui si satisfecero, amplissimum laboris mei fructù retulisse putavero, tot enim, PRINCEPS MERITISIME, devinctus tibi sum beneficiis, iisque maximis, ut tuæ mihi obsequendum voluntati, tuoque parendum iudicio in omnibus planè sit, quod cū præstitero, ne minimã quidè officii partem explevisse putavero: Summis etenim, Principum beneficiis paribus respondere vicibus privatos homines non difficile modo, sed difficillimum prorsus est. Plus enim illi habent, quod doneant, quam hi, ut rependant.

At verò neque parum sanè est à Te, uno opus nostrum probari; siquidem, plus ad commendationem Principis Viri facit Auctoritas, quam popularis aura, & si totis

in laudem viribus incumbat. Sed si magnū à Principe laudari: maximum profectò à Principe erudito, cujus acre ingenium, sapientissimum sit iudicium; hisce enim dotibus Principum virorum in vulgus cre- scit autoritas, ut quæ ipsi decreverint, oraculi loco habeantur. Sic ex una tantū sapientissimi Regis Nostri Roberti com- mendatione majorem laudum segetem demessuit Hetruscus vates, quàm ex totius Italiae plausu, cujus universæ in acclama- tionem voces pleno omnium ore effunde- bantur: nec laurea donare dubitarunt, quem sapientissimus Rex dignum cen- suisset. Quia nimirum Principes, sapientes- que Viri, cum propinquiores sint dijs im- mortalibus, quam cæterum hominum vul- gus, ab his profectæ laudes non minus, quàm si à Diis essent, existimandæ sunt. Quapropter si Tu, Vir spectatissime, maxi- mum ætatis nostræ ornamentum, Musarum delictum, ac veteris elegantiae cultor egre- gius, atque patronus idem acerrimus, opus hoc nostrum probaveris, satis illi laudis erit, ac commendationis. Tandem Princi- pi Viro placuisse laudis abundè, abundè pretii, præmii que est. Quæ cum ita sint, unū superest, ut quod tuum tot titulis est, be- nignus accipias, tuoque protegas Patroci- nio. Vale kal. Octobris MDCLXXXIX.





F. Solimene Inu.

H. Vincent Sculp.



## HALIEUTICORUM

### LIBER I.

**Q**UI cursét vada squamiferi, quæ læta frequētēt  
Pascua, qui mores gentis, quæ prælia, & ignes;  
Nec non & variæ quot sint piscantibus artes,  
Sive hamos versent, seu retia: sive tridente

Monstra petant; vel fixa cavis conchylia faxis,  
Aut duro ramosa legant corallia trunco,  
Hinc canere: & captis aderit si Musa, sub Ortu  
Gemmiferas Indo quæsitum gurgite conchas  
Ibo alacer. Zephytis, vos ò, mulcete serenis  
Æquora, Nereides; vestro sub numine quando  
Innumeri spumosa natant per cærule pisces,  
Et fortunato concresecunt ostrea succo.

Nec minus ò Cæli Decus, & spes unica Mundi,  
VIRGO, fave, vatique tuo da nobile carmen,  
Auspiciis qui, Diva, tuis, jam rara tument  
Credidit lina mari, prædamque affectat opimam;  
Nam tu materni Dea litoris; aspice, ut omnis  
Hic te, ubi barbarico surgunt de marmore templa,  
Supplicibus votis veneratur Olympica pubes:  
Atque tuo ex undis servati numine nautæ,  
Et promissa ferunt tibi munera, vota que solvunt.  
Huc tibi primitias Tyrrena è Doride conchas,  
Vulsaque de duris virgulta rubentia faxis  
Ipse & agam, magnisque onerabo altaria donis.  
Ergo age, squamiferas piscosa in retia prædas  
Immitte, & nubes disclude, & marmora placa.

Tu verò, ò nostræ Decus immortalè casinæ,  
Et nova, CARDENIDE, piscantis gloria Musæ,

Huc

Huc adsis: frondosa vocat te Nefis, & alti  
 Miseni tupes, & aprici saxa Dicarchi,  
 Quò vatem tu Phœbus agis, quò pulcher & ipse  
 Ire comès vari non dedignatur Apollo,  
 Et versare hâmos, & arundine fallere pisces.  
 I pelagi Deus alter, & altera eat Dea Phyllis.  
 Non tenues calamos, non retia despices; nanque his  
 Fors erit, ut magnum referas in secula nomen:  
 Magnus & Euboica semper celebreris in acta,  
 Lina sub umbroso dum textet Olympicus antro.  
 Quin &, si faciles venient ad cœpta Camœnæ,  
 Te puer Hesperius, & te cantebit Eous:  
 Ille Tago, patrioque redit cum dives Ibero.  
 Hic nitidas unda cum fert Chryseide gemmas.  
 At mihi, si quondam victrici Nereæ puppi  
 Auspiciis lustrasse tuis, quâ roscida surgit  
 Aurora, & quâ se fuscus vehit æquore Vesper,  
 Posse datum, & merita proram tedimire corolla.  
 Nunc liceat reduci materno in litore prædas  
 Venari, & conchis, per saxa vacare legendis,  
 Dum me Pausilypus, dum proxima Mergilline,  
 Atque in blanda vocant felices otia Musæ.  
 Mox ego, si plures addet mihi Juppiter annos,  
 Arma gravi numero, & Bellarum prælia dicam.  
 Quare age, si tua, quæ canimus, non mollia iussa,  
 Patria piscantem per cœrula dirige cymbam,  
 Actias in velum dum sibilat aura canenti.

Principio piscosa ptius, quam retia in æquor  
 Solvimus, aut dextrâ ferrum torquemus acutum,  
 Quæ nitidi spumosa greges loca, quæque frequentent  
 Pascua læta maris, quæ saxa virentia, vel quæ  
 Flumina ament, rivosque libentius, & genus omne,  
 Et studia, & mores, & quæ sua nomina cuique  
 Est, piscator, opus prædiscere: quique dolosi  
 Sint astus, rixæque, & vafræ prælia gentis:  
 Nam quo se possint tutari, piscibus acre  
 Ingenium Natura dedit, viresque, dolosque.  
 Quare agite, & proprias cunctorum discite formas,  
 Nominaque, & mores. Primi cervice rubentes



LIBER I. II

Litora curva secant 1 Cuculi, atq; humiles per arenas *Qui pisces litora incolant.*  
 Cæruleos carpunt frutices: quos inter in alga  
 Squamigeri pascuntur 2 Equi, flavique 3 Erythini,  
 Vocalesque 4 Lyræ, volucrisq; per æquor 5 Hirúdo,  
 Flaventesque auro, & saturi violâ 6 Melanuri.  
 Ipsi etiam cursant cristati spumea 7 Pagri  
 Litora, quæque auri referunt nomenque, decusque  
 Auratæ 8, & roseo 9 Mullus qui fulget ab ostro.  
 His 10 Smarin, his 11 Sargos, & versicoloribus adde  
 Ardentes squamis, rutiloque 12 Synagridas auro:  
 Et litus 13 Synodontes amat, ferratus & 14 Orphus  
 Quicque diù in sicca dissectus vivit arenâ.  
 Salpa 15 supercilio virides imitata smaragdus,  
 Et virgis variata, & lacti concolor: & 16 qui  
 Attalico clarus textu natat æquore Rubro,  
 Campanisque pererrat aquis, & noxius ictu (nes  
 Scorpius 17, & vivax 18 Scorpana, & 19 Blénus, & om-  
 Imbelles 20 Aphyarum acies, 21 Hepsetus, & udus  
Eu-

---

1 Nostri, & Siculis *Cocco*, Romanis *Capone*. Galli à Mullis non distinguentes. *Rouget* vocant, Provinciales verò *Galline*. Santones *Perloa*  
 2 Nostri *Caval Marino*, Gallis *Cheval*. Hispanis *Caulinho marino*,  
 Draconem etiã Veneti dicunt. 3 Nostri *Luvare*, Romanis *Fragulino*,  
 Siculis *Carofano*, Hispanis, & Gallis *Pagel*. Venetis *Arbore*, plerumque  
 cum Pagro confunditur. 4 Cum Cuculo passim confundunt, appel-  
 latur item *Organo* à sono: à Gallis *Groan* à grunnitu, insuper *pesce*  
*Malearmato* 5 *Rondine di mare*. Gallis *Arondelle de mer*, Hispanis  
*Volador* 6 Italis passim *Occhiata*. Gallis *Oblada*, & *Nigr'oil*. 7 Pa-  
 gres passim audit apud Italos, Gallis verò *Pagre*, Hispanis *Bezogo* in-  
 digetatur. 8 Nostri *Orata*. Hisp. & Gal. *Dovade*. 9 *Triglia*, & *Tre-*  
*ghe* à nostris, Gall. verò *Rouget*, *Barbeau*: vocitant etiam *Massilienses*,  
 & Ligures *Triga* Hisp. *Barvo de la mar*. 10 Nostri *Cerre*, Romani  
*Spigaro*, Veneti *Girelli*: *Narbonenses*, & Hisp. *Picarel*, at *Massilienses*  
*Gerver* 11. Fere omnibus *Sargo*. 12. Neap. *Ricciola*. alibi passim  
 pro *Dentice* accipitur ob similitud. 13. à Nostri *Dentice* appellatur  
 & *dentale* Gall. *denté*. 14. Nostri dicitur *Cernia*. 15. Ital.  
 Hisp. Gall. *Salpa*, *Massiliæ* verò *Sopi* 16 *Callichthys*, & *Stromateus*  
 dictus. *Fiatola*: Hispanis *Pampavo*. 17 Nostri, & Romanis *Scorpano*,  
 passim verò *Scorpius* 18 à *Scorfanella*, & passim etiam *Scorpius* 19 No-  
 stris *Cepolla* Romanis *Messore*, Hispanis *Cacador*. Gall. *Lebre de mer*  
 mucosus piscis. propter quod, & *Blennus* dictus est. 20 Neapolita-  
 nis *Cicinielli*, lignibus *Nonnati*, Rom. *Pesci novi*. 21 Gall. *Incil*.  
 Nobis inter pisculos ponitur, quos dicimus *Fragaglie*. Gal. *Petit Poisson*

## 12 HALIEVTICORVM

Engraulis 1, 2 Atherina, 3 Thrichifq; & canus 4 Acar-  
 Quæq; Hyeme incanz, nigrescunt répore 5 Mænz (nas,  
 Æstivo, resonoque 6 Boops, qui gutture mugit.  
 Sed qui 7 Pfitacei, freta quæ felicia cursent,  
 Dicamus: Dulci 8 Solez pinguedine succi  
 Occurrunt primæ cantanti, quas mihi malim  
 Apponi, quoties Divorum Sacra præimus  
 Supplicibus votis, vel tempora quatuor anni  
 Primitiis frugum oblati, precibusque sacramus.  
 Concolor & Solez 9 Passer, 10 Rhombique trilibres,  
 Et 11 Citharus algas amat 12 Ammodytesq; Britannus,  
 Et 13 Coraces cervice nigri, viridesque, 14 Lacerti,  
 Auratique oculis 15 Sauri, 16 Milvique rapaces,  
 Quique venenato piscantes sæpe fefellit  
 Ore 17 Draco, & 18 pulcher speculator syderis alti,  
 Trachurumque 19 greges nitidi, maculosus & alas  
 Mormylus 20, atque teres qui dissecat æquora 21 Scõ-  
 At tuber aprici sectator litoris oram (brus.  
 Carcinus 22, alget Hyems dum frigida; cumq; perurit  
 Æstate in mediâ Sol litora, tunc & aperti Gur-

*Cancer hye-  
 me litus, æ-  
 state alium  
 frequentat.*

1 Nostris *Alice* Hisp. Gall. *Anchoy* 2 *Laterina* nostris, Gallis vero *Melus* 3 *Sarde*, & *Sardelle*, Gall. *Celerins*, 4 Inter Erythinos accensetur *Fragolins*. 5 Italis passim *Menola* Adriaci verò incolis *Menola Sclava*, Gall. *Mendole*, & *Cagarel*. Nobis haud dubio sunt *Roimidi*. 6 *Boga*, & *Rosondetto*, Gall. & Hisp. *Bogue*. Nostratibus, ut vox ipsa ostendit *Yope* appellantur. 7 Sic à Græcis cum Arist. nuncupantur, qui non in ventrem, aut dorsum, sed in latera compressi, inq; tenuem extremitatem desinentes procreantur. Plineus Planos vocat, horum autem duo sunt genera, spinosum unum, cassilagineum alterum, quia nimirum pro spina carulagineum habent. 8 Neapolitanis *Palaja*. Ital. *Linguata* Gallis *Sole* Hispanis *Linguada*. 9 Ital. *Passaro* Gall. *Phye* 10 *Rombo*. Gall. *Roub*, & *Tarbot*. Hispanis *Rodovalle* 11 Rhombi species Romæ *Foglia*. 12 Anglice *Sandil*.

13 Romæ *Gallina*. Gall. *Cabote*. 14 Ital. *Lacerto*, dicitur, Gallis verò *Suarean*. 15 *Sauve*, similis est cum superiore generis Gallis *Siguile* indigetatur. 16 Multi cum Hirundine confundunt eum Cosæ alii, aliiq; cum Cuculo. Italis *Nebio*. 17 Nostris, Siculi. Liguresque *Tragina* appellant. Veneti verò *Pesce Ragno*, Galli *Vive*. Massilienses verò *Ariguo*. 18 *Pesce Prete*, *Bocca in capo*, Romæ *Messore*, dicitur etiam *Lucerna*. Gal. *Tapecon* & *Rascafce bianche* 19 Generale nomen. *Lacerto*. 20 *Mormillo*, *Marmora*. Liguibus, & Provincialibus *Marmo*, Hisp. *Marxo*. Neapoli frequentissimus. 21 Nostris *Sembro* nuncupatur, Romanis *Macarelle*, Gallis, & Liguribus *Auriol*, *Oreol* ab Aprilis mense, quo capitur, vel ab aureis oculis. 22 Italis *Grancio* Gall. *Cancro*.

Gurgitis alta petit, frigusque inquit opacum  
Æquoreas inter sylvas, & aquosa vireta.

At nigro sæcunda luto, qui cærule pisces  
Degere ament, seseque imis in sordibus abdant,  
Accipe: 1 Torpedo primum diversa figuris,  
Altera nam lævis, crebrisque interlita punctis,  
Hæc maculosa oculos, hæc lucida fulgurat astris:  
Et magni cænosa 2 Boves tenuere frequentes,  
Et 3 Pholis mucosa, capique per æquora semper  
Difficiles 4 Pastinacæ, atrum quæ ore venenum  
Effundunt rabidæ, radioque armantur acuto.

Et quæ virosa diffundunt Nerea cauda  
Veloces 5 Aquilæ, 6 Squatinæque, & nomina lato  
Qui 7 meruit gibbo, & visu turpissima 8 Rana,  
Nigraque 9 Loligo, & stellatæ tergora 10 Raia:  
Intectas quibus adde levi lanugine 11 Squillas,  
Flaventemque oculos, & succo 12 Cantharon acri.

Muscosos inter scopulos, atque herbida propter  
Incolit Oceani gens plurima. tecta virenti  
Quæ musco exhalant cava saxa, & plurima ab imo  
Assurgens tegit alga mari, tenuere coruscæ  
Phycides 13, & 14 Percæ molles, & 15 Iulides, & quæ  
Pin-

Qui canoffs  
in locis  
versantur,

Qui saxa-  
tiles.

1 Italis *Occhiarella*, Venetis verò *Tremolo*. Gall. *Torpille* Hisp. *Tremielga*. 2 E Raiarum genere sic dicti à magnitudine, Liguribus *Vacea*, Romanis *Raia Bubosa*, Venetis *Sramaxo* nostris verò *Raia grossa* Gallis *Flassade* Hisp. *Hugo* 3 Italis, & Gall. *Bavosa* 4 Romæ *Erucho*, Venetiis *Pesce Palombo*, Siciliæ *Bastomaga* nuncupatur, nobis verò Liguribus, & Massiliensibus *Ferrassa*. Lutetiæ cum Ranis venditur.

5 Nostris, & Romani *Aquila*, passim *Pesce Rospo* Galli *Tare Franke*, & *Falcons*. 6 *Pesce Squatro*; sed Veneti *Squaina*. Galli *Angole*, & *Prange*: At Aquitani *Creac de buch*, Hispani *Liva*, at Lusitani *Lamio*.

7 In Oceano Balthico reperitur, Anglis *Lump*. appellatur 8 Nostris *La Pescatrice*. Romanis *Pesce Pescadore*. Galli Provinciales *Bodroy* Aquitani *Peschetean*, Hisp. *Xarcho*, Epidaurii (Ragusiui) *Diavolo Marino* 9 Cum major est nostris *Calamare* Hisp. & Gall. *Calamar*, Romani, & Veneti, nec non, & Provinciales *Tosena*. cum Minor est *Sepiola* latinè. Nostris *Calamarelli* 10 Italis, & Hispanis *Raia* Gallis *Raye* 11 Ital. & Gall. *Schille*, & *Squille*, & *Cambari* 12 Ital. *Canzava* alii *Tanada* à colore pullo: Hisp. & Provinciales *Cansheno*, Lutetiæ *Eremma*. 13 Nostris *Lepra*, Rom. *Fico* & *Perchia*, Gallis *Mole* Hisp. *Molere*. 14 *Perchia*, quæ passim cum Phycide venditur, cui simillima est. Hisp. *Percha* Gall. *Perche de mer*. 15 Veneti, & Provinciales *Donfelle* Nostris, & Romani haud decenti vocabulo *Mencbia* à *Re* vocant. Rhègini *Viola*.

Pinguis odoratum detonder 1 Hiattula muscum,  
Et grati semper, regalia munera, 2 Turdi.

Ast humiles, scabræque sonant, quæ gurgite perre,  
Has 3 Basiliscus habet, 4 Miluusque, & flavus 5 Ado-  
Qui sæpe, ut perhibent, è fluctibus insilit actam, (uis,  
Et placidos carpit muscoso in litore fomnos,  
Dum tranquilla Theris premit æquora: sed Notus alii  
Cum tonat imbriferis, refluuntque ad litora fluctus,  
In ponti secreta fugit. Certamina dura  
Cum Mergis olli semper, Fulicisque parantur:  
Hos è longinquo ut vidit properare feroces,  
Saltanti similis sese devoluit in undas,  
Tuta petens, fundique imis caput abdit arenis.

Qui litoreos  
inter scopu-  
los.

Verum sparsa super cautes quas cærulea vestit  
Herba, colit punctis 6 Sargusque insignis, & alis,  
Et 7 Pforus, & celeri fugiens quæ Doridæ cursu  
Umbra 8 secat, rutilatque auro, & nitido argento.  
Hæc, dum se circum freta per chrysellina voluit,  
Irim picta refert, non uno errore colorum  
Pulchra micans oculis, niger & 9 Coracinus ab ipsa,  
Qua rutilat nitida piscis nigredine dictus.  
Hæc quoque saxa rosas imitanti corpore 10 Mulli,  
Ac nitido insignes villo frondosa recurrunt.  
Et 11 Scarus ambrosiâ Divorum dulcior ipsa,  
Quem procul Ægeò quondam de gurgite vectum,  
Tyrrenis donavit aquis Opratus, & Urbè:  
Nanque olim rari nabant, quos horrida nimbi

Unde sca-  
rus ad nos  
devehitur.

Car-

1 Romæ *Sopraciolo*, Nobis *Orcanna*, & *Aiata* Liguribus, & Hisp. *Serran*, quo nomine, & Galli indigetant, Veneti verò, & Græci nostri tēporis *Channo*: ab antiquo vocabulo *Channe*, ab hiando dicta est.  
2 Omnibus *Turdo*. 3 *Quæ* & *Alauda cristata*. *Pavone* Gallis *Perrépierrre*. 4 *Milvo*, *Nibio*, *Pesce Rondine* Gall. *Arondelle*, & *Falcon*,  
5 Cum *Turdis* venditur, eodemque nomine indigetatur. 6 *Omnibus Sargo* dicitur, nostris tamen *Saraco*. 7 *Athenæo* *Melanderinus* à nigredine, ignobilis est nobis, ut parvi *Coraces*, appellatur *Quarracino*  
8 Itali, & Massilienses *Umbrino*, & *Ombrina* dicunt: Veneti *Nembrella* Parisinis *Maigre* 9 *Pesce Corvo* Gall. *Corbeau*. 10 Nostris *Treglia*, & *Triglia* Liguribus *Triga*. Hisp. *Salmoneto*. Gall. *Rouget*, & *Barbean*, qui lutarii insipidi, ac molles *Saponara* 11 Nostris non planè Notus, aliqui *Pesce Saffro* vocari putant, cum *Auratis*, & *Sargis* confunditur, qui fortunatas insulas incolunt *Brenchos* appellant. Græci veteri nomenclatura *Scaros* dicunt.

Carpathiis egisset Hyems è fluctibus, aut quos  
 Conclusos magni vivaria Regis alebant.  
 Solus & hic visus, mendax ni fama, loquaci  
 Ore greges inter muros, cantare per undas,  
 Pallentesque sonans, veluti bos, ruminat herbas,  
 Hepatus 1 accedit rubicundus, & ore voraces,  
 Nigrantesque ruunt 2 Fabri, fuscique 3 Cinēdi,  
 Gobius 4 herbosus in cautibus, albus, & ater  
 Enarar: & vario meruit, qui nomina flore  
 Anthias 5 hos sequitur: squamis argenteus 6 unus,  
 Purpureisque oculis subluceat: grandior 7 alter  
 Pfitaceum attollit dorsum, sed circulus Irim  
 Aureus incingit, totus cervice nigranti:  
 Tertius 8 è viola subtermicat: Iris & 9 illi  
 Sanguineis ardet maculis, nitidoque Amethisto,  
 Lumina pulcher, & ora, supercilioque superbus,  
 Littoreos inter scopulos, scabrofaque molles  
 Saxa latent 10 Polypi, & candenti 11 Sepia lacti  
 Concolor, octipedesque frequentant saxa 12 Paguri,  
 Atq; 13 Leo, atq; 14 Elephas, Palatinæq; 15 Locustæ.  
 Et 16 Merulæ scopulos, & qui formosior omnes  
 Squa-

*Est vocalis  
 & rumi-  
 nat.*

*Qui sca-  
 bras inter  
 petras in-  
 habitent.*

1 Innominatus est, aliqui male *Figo*, à *Fegato*, Venetiz est forte *Sachero* 2 Romæ *Cirola*, & *Pesce di San Pietro*; ajunt enim hunc piscem fuisse, quem jubente Domino, accepit, ut in ejus ore numisma pro tributo reperiret, Hinc & Græci nostri temporis *Petrospavo* nominat, Ligures *Rosulo*. Gall. *Narbonèses*, & Hisp. *Gal.*, & Provinciales *Trucie* à voracitate. nostris *Gallo* 3 à Provincialibus *Sanns* nostris innominatus. 4 Veneris Gd Liguribus *Zolero* Gall. *Goujon*. Nostris *Maxxoner* Maximus flavescens *Paganello*. 5 Quo nomine apud nostros appelletur non liquido constat: multi cum Auratis confundunt. 6 Primi generis Anthias Gallis *Barbier*. 7 Secundi generis pelagus est ad Asellorum genus accedens. Gall. *Capelan*. 8 Anthias tertii generis Turdo similis cum quo venditur. 9 Anthias quarti generis Græcis Evopus, & Aulopus propter supercilio: hanc speciem dictuserit fortasse, qui nostris *Aulopema* nuncupatur. 10 Nostris *Polyp*, Venetis *Folpo*. Hisp. *Pulpo*. Gall. *Pulpe*, & *Porpe*. 11 *Seccia*, & *Sepio*. Venet. *Soppa*. Hisp. *Xibia*. Gallis *Seche*, at Ligures *Sopi*, ut & Massilienses.

12 *Grauchio*, qui in scopulis versatur fusci coloris. Gallis *Chabre*, & *Crape*. Hisp. *Aranha*. 13 E Locustarum genere, sic dictus à flavo colore. 14 Item è locustis, est viridantis coloris à mole appellatus circa Capreas, & Pausylipum plurimi capiuntur. 15 Nostris *Ragosta*, & *Alagosta*, Hisp. *Logusta*, Gallis. *Languste*. 16 *Merula*, *Merlo*, & *Tesca de mare*. Hisp. etia *Merula*, Gall. *Merle*. plurimi à Turcis nō distingunt.

16 HALIEVTICORVM

Squamigeros 1 Pavo superat, coluere: neque illos  
 Deserit ardenti flavens 2 Sphyræna colore:  
 Cui similes glomerantur 3 Acus, quæ lata frequentes  
 Denfatis suevere globis errare per alta.  
 Postremas acies geminæ comitantur 4 Alaudæ,  
 Altera, quæ sparsim punctis micat, altera cristis:  
 Troglodytæque 5 ruunt medii, qui gutture pande  
 Mænorum per saxa cavas petiere latebras.

*Echeneis,*

At non tu nostram felici murmure puppim  
 Perflaram sistes, 6 Echenei, tumentia quando  
 Pieridum vada sulcamus melioribus auris.

At te ne fallat species, piscator, aperta  
 Signa dabo. Cubito piscis non longior uno  
 Sit licet, alatis, mirum, mora turribus ingens.

*Hinc des-  
 criptio.*

Argentum lateris, medioque smaragdina dorso  
 Linea, cæruleus caudæ color ardet acutæ:

At violæ in reliquis subluceat purpura membris.

Exiguos, veluti Polypus, cervice supina  
 Fert calyces, rostrumque canis, seseque per undas  
 Sex agitat pinnis, & corpore tortilis ille est.

Cum cirris hæret, multoque tenacia suctu  
 (Cedè defixa cutem si quando apprehendit hirudo)

*Qua vi na-  
 ves sistat.*

Saxa tenet: quibus ipse cavis hædere carinis

Crediderim, celeresque fugas inhibere tenaci

Confestim suctu Remoram. ( Sic dicta Latinis

Nomine, quæ Graiis Echeneis) Aquosa per alta

Remigio juvenum valido, veloque volantes

Piscis ut apprehendit puppes, mora nulla, repente

Immotæ steterunt spumoso in marmore: ceu cum

In brevia, & syrces occurfavere latentes:

Sive angusta inter spumosi claustra Pelorî

In rapidos venire, Notis spirantibus, æstus.

Et quamvis toto in velum ruat Æolus antro,

Eurosq; Zephyrosque ferens, magnoque rudentes

Ex-

1 Pavone, Romæ Pappagallo, Hisp. Bodina, & Buvo. 2 It ali, & Hisp. passim Spetto, id est veru à figura, Galli Spes. Romæ Lucio Marino, hanc verò puto esse quam nostrates vocant Aguglia Imperiale. 3 Primi generis, ac nobiliores nostris Aguglie, Romæ Scocella, Hisp. Aguil-la, & Aguia pescado, Gall. Orphies. Ignobiles verò nostri vocant Caslau-delli. 4, 5 Omnes uno nomine Perciapietra. 6 Remora nulli non nota, quam lampetram plurimi esse volunt.

Extenti stridore fremant, & lina secundis  
 Pulsa Notis, omnem comprehendant cornibus auram,  
 Jam scindenda: rases impellat & ipse morantes  
 E puppi promo descendens flumine Nereus:  
 Ipsi & remigio quamvis, hortante Magistro,  
 Insistant alacres Nautæ, & clamore secundo  
 Obnixa remis feriant mare: stant tamen alni,  
 Ut patriis steterant defixæ in montibus olim.  
 Usque aded in parvis magna est Natura. sub alta  
 Rupe velut celeri fugiens agitata Molosso  
 Cervæ volat, saltusque fuga prætervolat omnes  
 Ocyor & sese, atque alatis ocyor Euris,  
 Conspicienda solo sua vix vestigia linquit:  
 At si forte canis comprehenderit, & tenet aures,  
 Stat tunc fixa, pedes frustra eluctata fugaces.  
 Sic & veloces consistunt Doride puppes,  
 Ut curvas Echeneis habeat cervice carinas:  
 Quamvis Rector adest, ventusque ad sibilat Idem,  
 Vela tument, Nautæ insurgunt, patet æquor appetum.  
 At nos, nulla tenet quoniam mora, per mare cursus  
 Inceptos, Euro in velum spirante, sequamur:  
 Quique altum tenuere greges, dicamus: 1 Aselli  
 Quanquam venere pigri cænofo è gurgite primi  
 Illicet atrolluntur, ubi latuere reposti  
 Sexaginta dies, freta dum Canis arida multo  
 Componit latratu, & circum litora torret.  
 Hos 2 Claria insignis lacte, 3 Arecidasque sequuntur,  
 Ac similes Baccho 4 Tincæ, 5 Liparisque, fetique  
 Armati fetis, & duris denticibus 6 Apri.

Qui Piscis  
 Pelagii.

B Et

1 Quorum variz species, Nostris, & Romanis *Merluze*, quasi Lucius marianus. Gall. *Morle*, Hisp. *Merluza* dicitur etiam *Pesce Asino*, & *Nassello*. Afellorum ingens copia in Oceano Septentrionali, unde ad nos exiccati devehuntur, & vulgato nomine *Baccallæ* appellatur. 2 Nobilior inter Asellos, nobis *Fico*, Romæ *Tenca marina*, & *Pesce Fico*, Gall. *Mole*, & Hisp. *Molere*, ob carnis teneritudinem. 3 *Harenga*. Germana voce, unde ad nos exiccati asportantur. 4 *Tenca*, Hisp. *Tinca*, Gall. *Tenche*. 5 A pinguedine dicta, cum enim in craticula assatur pinguedo, velut oleum stillat, fortasse erit, qui nostratibus dicitur: *Bocca grassolla*, ad Heroulanum capitur in loco, qui vulgò dicitur *Granatiello*. 6 Italis, Gallis, & Siculis, *Pesce Porco*, Romæ tamen *Pesce Balestra*, quod in dorso aculei robustissimi, membranisque junctis h recondantur statim originantur.

## 18 HALIEUTICORUM

Et 1 Scolopax ferrà metuendus, quique profundo  
 Sple sub æstivo conduntur marmore 2 Glauci,  
 Cyaneo ardentes fucò, radiisque rigentes;  
 Hyppurusque 3 fugax, & gurgite clarus Ibero,  
 Et qui 4 Monoceros cornu mare diviavit Indum.

*Pelagii nò  
 Squamof.*

Sunt alii, nullis intreæti tergora squamis,  
 Qui salis alta secant: tales 5 Cordyla, 6 Cybiz,  
 Pelamydes 7, 8 Thynnique leves, 9 Orcynus & ingès,  
 Et qui sæpe gerunt cum piscibus horrida bella (ces,  
 Pugnaces 10 Ziphia, 11 Congriq; 12 Amiaq; fero-  
 Squameus his 13 Coluber succedit, & hispidus 14 Hy-  
 Hydrus, qui Libycis, gelidæque in fluctibus Vrsæ (drus,  
 Immenso in sese revolutus colligit orbe:  
 Tuque ò versicolor mentis celebranda Deorum,  
 Muræna, 15 & mollis falcato 16 Tænia ductu,  
 Et 17 Myrus unicolor, picæque simillimus. At tæ  
 Carminibus nostris nunquam, 18 Pompile, tacebo,  
 Qui quondam Piscator eras, sed pulcher Apollo  
 Ocyrhoès magno correptus amore puellæ,  
 Cum te Mileto fugientem virgine vidit,  
 In piscem iratus vertit, saxumque carinam.  
 Ah miser! evictus precibus, lacrymisque decoris,  
 Illam ferre sua pro virginitate parabas,

*Pompili  
 De: amore  
 phosir.*

Sed

1 Nòbis *Pesce Vallone*, & *Pesce Serra*, 2 Nòbis *Ricciola*, nath Syna-  
 gris est *Praio* (strepfit error inter cudendum) Romæ *Lechia*, minor verò  
 vulgò *Pesce Stella* Gallis *Derbia*, & *Eitche*. 3 Hisp. *Lápugo*. 4 *Monoceros*. 5 Thynni recenter nati à capitis magnitudine dicit, *Tünacchi*  
 6 Thynni majores. 7 Veteri vocabulo *Palamida*. 8 Nostris *Tonno*. Hisp. *Atun*. Gallis *Ton*, & *Atbon*, Thynnium membratim, & in asu-  
 las dissectum, *Tonnine* vocamus, pinguiores verò circa ventrem partes  
*Tarantello*. 9 Thynnus cum in magnam corporis molem excrevit.  
 10 *Pesce Spada*. Genuensibus, & Narbonensibus *Imperatore*, Aquitanis  
*Grand Espadas* Armoricis *Heron de mer*. 11 Fere omnes gentes an-  
 tiquò vocabulo *Grongo*. Provinciales verò *Filat*, quia instar retis pisces  
 involvit, & implicat. 12 Gal. & Hisp. *Byza*, Nostris à foracia appellatur  
*Ferone* aliis *Lamia* 13 14, *Serpe Marina*. 15 Vbiq; gentium *Murena*,  
 & *Morena*, Lusitani tamen *Moreia*. 16 Nostris *Cepolla Rossa*. Gall.  
*Flambo*, quia tota rubet, & instar flammæ inter natandù serpit, & rutilat.  
 17 *Murænâ* marè multo putat, negant alii, cù *Murænis* exponitur; à Gall.  
*serpens* dicitur. 18 Ab Homero Sacer piscis dicitur, plerumq; cum  
 Thynnus confunditur, à Gallis *Pampale* appellatur. Græci penultimâ  
 corripunt, nos interdum cum Ovidio produximus, nostri hunc vocant,  
*Pesce letterato*, quod velati literis sit ipse illatus.



Sed frustra fugimus: vanus labor omnis, ubi obstant  
 Ferrea fata Deum, legesque adamante rigescunt.  
 Hinc amor ille tibi, celeri sociare natatu  
 Alarum vastum sulcantes Nereæ pinus:  
 Incæptumque ostendis iter, nec deseris unquam,  
 Ni jam vicinæ præsentis litora terræ:  
 Quam fugis infelix, pelagusque recurris in altum.  
 Quin & felices auras, & læta serena  
 Indicio nautis certo prædicis: & illi  
 Te comitem venientem, & te venerantur euntem.

*Ut naves  
 societ, seve-  
 nitatemque  
 præfagiat.*

sed procul irrumpens in litora gurgite ab alto  
 Carcharias 1 fremit ore, ducé quem mille sequuntur  
 Horrendæ 2 Galeorum acies, & dira 3 Canum vis.  
 O Piscatores, arcete è retibus illos;

*Canes ma-  
 rini eorū  
 que species*

Nam secus ereptis discerpent retia prædis.  
 At non se nostro subducat carmine 4 Vulpes:  
 Non & 5 Centrines radio, non asper 6 Acanthias,  
 Et 7 Sus in caput accrescens, qui litora grunnit  
 Dum captivus adit, visuque horrenda 8 Zygæna,  
 Cui serræ veluti, dentes armantur acuti,  
 Frons falcata iugo similis, sed lumina subter  
 Prona micant, minio rubet os, rictuque supinum est.

His animadversis, qui sint, qui mutua ponto,  
 Fluminibusque vagi faciant commercia pisces,  
 Protinus expediam. Glaciali è litore primus

*Qui mare,  
 & flumina  
 colant.*

B 2 Oc-

1 Sic dictus, quod acutos, asperos, validosque dentes habeat: in Italia passim *Lamia*. est vera *Amia* non sit *Carcharias*: Nostris *Canesca*.

2 Galei vocantur longi omnes, & cartilaginei, qui ab habitu corporis Musteli etiam nuncupantur, nostris uno omnes nomine *Pesci Cani*. Gall. *Chien de mer*. 3 *Pesci Cani*, quorum plurimæ species sunt, & sic à mordenio dicti, 4 Ex canum genere *Volpe* Gallis *Bamart*.

5 *Porco Marino* Gal. *Benard*. Provinc. *Porc*. 6 Ital. *Pesce Palombo*. Hisp. *Musole*. Gall. *Aguillas*. & passim omnes *Pesce cane*. 7 A Lacedæmonii *Orthrororiscus* appellatur. Rotam Plinii nonnulli putant. *Mola* etiam dicitur. Nostris *Botta*, *Mola*, & Lubrensibus *Trepesillo*. Gall. etiam *Mola*. Hisp. *Bont*. 8 Ital. *Pesce Martello*, *Cambeita*, & *Pesce bale* sive Lubrensibus, & Neap. *Magnosa* à iugo, cuidam muliebri capitis ornamento persimili, quod nostri ita appellant. Hisp. *Linnada*, & *Toilandalo*. Gal. *Isoujon*, & *Cagnole* à dentium sequiue.

Occurrit 1 Salmo, qui cum annis nomina mutat,  
Parvulus est Salar: est Fario cum grandior ævo  
Venit: & hinc Salmo jam plenus dicitur annis.  
Niliacusque 2 Latus præstans candore, 3 Lupusque,  
Et 4 Caper, & 5 Capito, & convivia plebis 6 Alofæ  
Quique peregrinis 7 Acipenser fertur ab undis  
Ad Palatinas prima inter ferula mensas.

Hos Rhodius sequitur 8 Galeus, & Ponticus 9 Huso,  
Pinguis ab argilla qui venit: & oris hiatu  
Lugenti 10 Viola, & fragrant candida succo.  
Non te præteream, 11 Lampetra, virentia propter  
Quæ saxa, & pictas florenti gramine ripas  
Læta fugis, non uno oculis errore colorum  
Aspicienda, notisque insignis, & Iride fusca:  
Lubricaque è manibus sublaberis, & peris undas.

Qui circa  
fluviiorum  
ostia ver-  
sentur.

At pingues verò 12 Cephali, squamisque nitentes,  
Tethyos undivagæ justum genus, & Chromis ardens  
Ora per, & ripas fluviorum, & stagna, ubi dulces  
Decurrunt lymphæ, & rorantibus aucta fluentis  
Doris amara suum perdit commista saporem,  
Degere amant. Nunquã sed amicos 13 Lucius amnes  
Deserit: assiduo circum fugit ora natatu.  
Interdum pelago mediis è fluminibus sese  
Insinuant agiles 14 Anguillæ, & per loca limo  
Obsita, cæruleis lætæ pascuntur in herbis.

Qui fluvia-  
libr.

Quod superest, sinuosa secant hi flumina pisces,  
Seque mari nunquam committunt: Incola magni

Atti-

1 Salmons Gal. *Saulmon*. parvos Salmons Aquitani *Tacons* indige-  
tant, marem à rostro *Beccard*, sâminam à ferendis ovibus *Bortier*. 2 No-  
stri maris non est. 3 Venetis *Varolo*. Rom. *Spigola*. Neap. *Spinola*.  
Hisp. *Lobo Robalo*. Gal. *Lupaxxon*, & *Lubin*. 4 *Porco*, alius est *Pesca Ba-*  
*lessira*, plerisque innominatus, vel Nili *Porcus*. 5 Nostris *Capidone*, &  
*Squaglo*. Hisp. *Cavado*. Gal. *Munier*, & *Vilain*. 6 Eademque *Alaufe*, &  
*Thriffæ Alofa*, & *Chiepa*, Hisp. *Saboga*, Gall. *Alofa*. 7 Italis majores  
*Sturioni*, minores *Porcellette*. Gall. *Eshurgeon*, & *Creac*. Hisp. *Sullo*, &  
*Sollo*. 8 *Copsa* quem pro Acipensere Rhodani, & Padi accolæ expo-  
nunt. 9 Gal. *Barbote*. 10 Gall. *Eperlan*. 11 Ital. *Lampreda*. Hisp.  
*Lamprea*, Gall. *Lampraye*, & *Lamprezze*. 12 Latinis *Mugil*, nobis  
græca voce *Cefalo*. Gal. *Mulet*, & *Gabros* 13 Ital. *Luzzo*. Hisp. *Solle*,  
Gall. *Lucy*, & *Brochet*. 14 *Anguille* veteri apud omnes vocabulo.

Attilus 1 Eridani tollit se clarus ab alveo,  
 Cui capiti vis tota, Borystheniusque coruscis  
 Antaceus 2 stellis rutilans, & corpore molli  
 Ichthyocolla 3, cutem sublutea, 4 Glanis & ingens,  
 Purpureisfque notis ardens, & lucidus auro  
 Phoxinus 5, & festiva inter convivia 6 Truttæ,  
 Quæ nitidas sectantur aquas, rivosque sonantes.  
 Adde his 7 Leuciscos, & 8 Squalos, adde 9 Thymallos,  
 Acidites gemmis, & amantes uda 10 Cyprinos:  
 Alburni 11 hos inter nivei 12, Tincæque feruntur,  
 Et Rhætis, quæ Tinca foret, ni tergora fuscus  
 Inficeret color, & dulcis pinguedine 13 Farra.  
 Insuper his, undis currit stagnantibus 14 Umbra,  
 Dorsâ rosas imitata, latiusque argentea candens,  
 Et fluctus, Thrasymene, tuos, qui circuit 15 Albus,  
 Albulaq; 16, & 17 Sarachus, 18 Pigusq; & 19 Simus, & 20  
 Et tu, qui quondam fueras Benacidus undæ (Asper,  
 Portitor, d 21 Carpo, sed piscem fecit avarum  
 Auri sacra famis; quia naulum scilicet à Diis  
 Quæsieras, sociisque tuis vim inferre parabas  
 Saturno, regique hominum, patrique Deorum.  
 Tantum, mortales agit in satiata cupido:  
 Numina ut immemores Divùm intemerata lacestant:

*Qui hæc  
 tenent.*

*Carpionis  
 metamor-  
 phose.*

B 3 Qui

1 Adello, & Adeno. 2 Germanis Tich. Istriâs Tock. 3 Etiam  
 hic Barboza, quia è superiore maxilla, quatuor carnosæ appendices,  
 veluti barba, dependent. 4 A Pannonibus Harcha, German. Scha-  
 den. Illyric. Sum Cræcis Clagnon, qui in Strymone Glanidem capiunt,  
 qui hodie Glanos appellatur. 5 Romæ Morello. Florentiæ Pardello,  
 Mediolani Esbravon Gall. Veron 6 Trosta, & Trutta, Gal. Tronste, &  
 Trutte 7 Primi generis Romæ, Revillano. Insubribus Oladiga, &  
 Orada ab aureo capitis splendore, Gal. Gardon, secundi generis Ital.  
 Strelia, & Strigis. Gal. Vandoise, & Dard. 8 Ital. Strelia. 9 Ital. Teme-  
 lo. Gal. Umbra. 10 Ital. Barbaro, & Carpao, Hisp. Carpa. Gall. Carpe.  
 11 Albette, Alborino, & Pasquarel. Gall. Ballers. German. Alblen.  
 12 Tenca. 13 Farra, Ferra, & Pala. 14 Umble, & Rubetto Salmo  
 Lemani lacus (Lago di Garda) cum Salmoni simillimus sit, 15 Al-  
 bo frequens in Thrasymeno (Lago di Perugia) 16 Albeis 17 Ita Græ-  
 cis, nostrisque, Insubribus Acone, & Aquone, quia aquis nascitur.  
 18 Pic, & Pigo in Verbano (Lago Maggiore) latior; lacu (Lago di Como)  
 capitur 19 Naso à naso nimis crasso. Heluetiis Nascon 20 à maxil-  
 larum asperitate dictus Gal. Apron. 21 Carpione. Olim ferunt di-  
 ctum Pione, sed cum quidam, qui illum carius emerat, dimisset se  
 amisse Car Pione, dictus deinde piscis est Carpione.

Qui mare, qui terram nobis, dulcemque benigni  
 Auram largiti, & quorum de munere vita est.  
 Auso quo summus pater indignatus iniquo,  
 Extemplo in piscem mutari iussit avarum:  
 Quo duro semper stimulo torquere: neque unquam  
 Infelix voto, aut auro potiere fugaci.

Nunc age, non id te lateat, per cœrula multi

*Qui pisces  
 gregatim  
 vagantur.*

In turmas, aciesque ruunt. Socioque natatu  
 Spumantes findunt campos, ceu 1 Mugil, & auri  
 Chrysophrys 2 imitata decus, Mullusque rosetis  
 Emulus, & nitidi Synodontes: & agmen in unum  
 Agglomerantur Acus. Aphyæque, timendus & ictu  
 Scorpis, & Scorpæna, Amixæque, & floribus ardens  
 Anthias, & nigri Coraces, Thynnique fugaces:  
 Atque Lyræ, atque 3 Sudes, & flaventes Erythini.  
 Ipsæ etiam timidæ jungunt focia agmina Salpæ,  
 Trachurique leves, & pici tergora Turdi.  
 Tu quoque turmatim cursas, Melanure, per undas,  
 Et mollem sequeris Percam, Scombrique 4, Chromisq;  
 Et vos Pelamydes densatis Nerea turmis.

*Qui solita  
 vii:*

Verum alii socios odere, & marmora soli  
 Cana secant: tales nant fluctibus Iride pulchra  
 Picti Pavones, Citharique, Fabrique voraces,  
 Atque Cuculus edax, & Iulides, atque 5 Scyæna,  
 Rajæque, Squatinæque, & Ranz, & cæruleus Bos.  
 Solus & æquoreas per cautes flavus Adonis  
 Fufus humi carpit, placidissima munera, somnos:  
 Rhombique, Sargusque, & viscere pauper Afellus,  
 Atque; Draco, atque Canes, & pecto Mormylos ore.

*Uranosco-  
 pi indoles.*

Solivagus quoque; salsa secat ferus 6 Hemerocæctus,  
 Cui ventri furit atra fames: nec finis edendi,  
 Pingua ni saturo rumpantur viscera, & ipsam  
 Cum pastu vitam revomat: hinc discite quod vos  
 Ingluvis vesana feret, quoscumque per omnem  
 Ire iuvat luxum, & ventri indulgere voraci.

*Milui, &  
 Hirundinis*

At vero 7 Accipiter, volucrique simillima Hirudo  
 Soli habitant litus, sed cum perniciousis alis

Cor-

1 Cephalus. 2 Aurata. 3 Sphyræna quæ & *Aluqqo Imperiale*. 4 Iral. & Gal. *Cassagnola* à colore dicta. 5 Græcè, Latine verò Umbra. 6 Uranoscopus, sic etiam appellatus, quia interdum dormit. 7 Idè qui Miluus.

Corripiunt maria alta, globum densantur in unum:  
 Inque ruunt hostes glomeratis orbe catervis.  
 Quos ubi prospectant imo de gurgite in altum  
 Adventare, super fluctus se protinus omnes  
 Emittunt, celeresque volant per inania branchis,  
 At verò è pelago se stridula tollit Hirundo  
 Altius: aëst humilis primam radit maris undam  
 Accipiter, nanti similis, similisque volanti.

Sed quot diversæ species, formæque natantum,  
 Nominaque, & mores quot sint, comprehendere versum.  
 Si quis forte velit, magni velit ætheris idem  
 Dicere, quot tremulo scintillent Sydera nictus  
 Aut ubi flaventem collegeris area messem,  
 Quærere quot vento paleæ jactentur inanes.

Nec verò gignunt omnes maria omnia pisces,  
 Angustum longo Ziphiz mucrone Pelorum  
 Armati tenuete: Scarus Myrtoa frequentat  
 Æquora, & Jonii nonnunquam vêtus æquosus  
 Cæcula trans, fines decurrit ad usque Sicanos,  
 Plurimus Euxina generatur Tynnus in unda:  
 Orbis 1 in Ægypto, Rhagini ad litoris oram  
 Regales nascuntur: 2 Acus, 3 Muresque rubentes  
 Herculeum 4 juxta portum: Conchylia fluctus  
 Nigra Tarentini lactant, Lumbumque Britannii.  
 Aspice & ignorum lustratum navibus æquor,  
 Eoosque sinus Ophyraz, Chrysenque repostam.  
 Divisæ patriæ sunt piscibus, una canoras  
 India Sirenes gignit, pharetrataque gemmas  
 Persis habet, niveos Gangetis & unda lapillos.  
 Simia Chryszo natat æquore: sola 5 Manates  
 Ammericæ, & miros hæc educat una 6 Reverfos.  
 Arcidem Germana Thetis, Tyrthenaque rubrum  
 Coralium, generatque truces Arctoa Colubros.  
 Quid tibi odoriferis referam rorantia saxis  
 Succina, Natadum lacrymis, casuque decora?  
 Quid maria Æthyopum niveis canentia 7 Cycnis?

B 4 Vel

1 Vulgus Græcorum *Plascoparon*, idest lagenam dicit, ob molem rotundam, duroque corio contextam, Nobis *Pesce Mûdo*. 2 *Cleireth*, de quibus infra. 3 *Sorci*, quibus roseus color, caro candida, & solida. 4 *Tropea*, Brutiorum oppidum. 5, 6 de his lib. 7. 7 Pisces cycnus 46 miles, alisque volantes circa utrumam Africæ promontorium.

*Singula ma-  
 stines: Peem  
 liaves suas  
 habent pi-  
 sces.*

Velleraque Oebalii ut depectant Byssina 1 Pinnis  
 Aut propiora polo quæ cærulea despicit Urfa,  
 Orbis inaccessi metas: ubi dura ferarum  
 Tergora vix rigidi possunt penetrare tridentes;  
 Et gens illa quidem torquendo aptissima ferro.  
 Insignes auro Conchas fert æquor Erythræ,  
 Nil quibus est terris præstantius, aurea Regum  
 Quo possint pretiosa magis splendescere ferra,  
 Et torques rutilare: neque his præsentius ullum,  
 Pectora si quando pervasit lethifer ignis,  
 Auxilium venit: efferuentem gemmeus æstum  
 Temperat humor, agitque omnem de pectore pestem.

*Campani  
 Crateris  
 laudes.*

Sed neque Erythræi fluctus, ditissima gemmis  
 Æquora, non 2 Chryse, aut felices Persidos undæ  
 Laudibus Euboici certent Crateris: & Aætæ  
 Non se Campanæ æquiparent Mavortia Rhæti  
 Litora, nec Siculis Tellus regnata Tyrannis.  
 Non molles Arabum tractus, nec in Orbe reposto  
 Tota coloratis Peruuia dives arenis.  
 Hæc vada non Phocæ spirantes naribus imbrem  
 Sulcavere, aut formidandæ piscibus Orce,  
 Nec Balænarum rigidis mare dentibus horret.  
 Sed rosei Mulli, & Murçnæ lacteus humor  
 Percurrere: secant Soleæque, rubrique Erythini.  
 Hic niveus sese vitreis è fluctibus effert  
 Delphinus, puerosque inter festivus oberrat.  
 Hic nitidi semper Soles, & aprica serena,  
 Et petræ Conchis, & Piscibus utilis unda.  
 At Colubri tristes absunt, & dira Luporum  
 Semina, nec miseros discerpit Scylla natantes.  
 Non tantum radiis Torpedo nocet, neque taneum  
 Scorpium irato diffundit ab ore venenum.

Adde maris prospectum omnem, & Telluris amœnũ,  
 Et montes sacros, & utroque ab litore colles,  
 Nunquam non gratos umbris, & mollibus herbis  
 Deptætæque inter currentia flumina ripas:  
 Totque altis imposta jugis castella, domosque,  
 Atque theatriali fabricata palatia circo  
 Paulũpi propter litus, clivosque sequentes,

Re-

1 *Læva Penna*, de qua plura lib. VIII, 2 Vide lib. 7. Naut.

Regum opus, atque opere egregio, luxuque superbo,  
 Adde Urbem lætam populis, opibusque potentem,  
 Et clara augustam sceptro, ingenuisque vigentem  
 Artibus, & studio florentem nobilitati,  
 Cui Regina suo fecit de nomine nomen  
 Parthenope, mitesque dedit blandissima ritus.

An virides memorem scopulos, piscosaque saxa,  
 Et tot muscosis excisa in rupibus antra?

An præ sinus tantos, te 1 Polli, teque beato  
 Cum portu, Misene, tuoque, & te, molle Dicarchum?

An quæ felicem memorem Cratera coronant?  
 Hinc ditem Baccho Inarimen, montesque Tiphœi,

Et Prochyten pomis vernantem, & pinguibus uvis  
 Piscosas illinc Capreas, Fanumque Minervæ,

Et Vici colles, & pampineum Surrentum?

Hæc eadem Musas, & doctas extudit artes,  
 Campanoque sonum dedit ære; & pyxida Nautis  
 Protulit, & tenui telas intexuit auro.

Hæc vates lauro insignes, rubroque galero  
 Romuleos Patres, clarosque Heroas in armis,

Et tot Pontifices tulit, & te maxime Patrum,  
 FORTUNATE 2, throno, qui mox sublimis ab æstro

(Regnatorem Orbis nam te, collisque Quirini  
 Concordi plausu Divique, hominesque reposcunt)  
 Omnia sub pedibus volui, vertique videbis.

Salve magna Parens rerum Campania Tellus,  
 Læta mari, sæcunda solo, mitissima Cælo,

Alma vitis, medio quam Dii posuere benigni,  
 Gemma velut, circo mediat quæ lucida fulvo,

Egregias tibi nunc laudes percurrere, & artes  
 Incipio, Actiacos ausus tractare cothurnos,

Coryciumque 3 cano Tyrrena per æquora carmen.

Nunc vada squamiferum ingeniis, quæ læta cuique  
 Pæcua, quæque magis sunt piscibus apta ferendis.

Her-

*Quibus in  
 locis melio-  
 rum nascan-  
 tur pisces.*

1 Sinus inter Massam ad delubrum, & Surrentum, ubi Pollij villa.

2 FORTVNATVS Carafa è Roccellæ Principibus S- R- E- Card. & generis splendore, & virtutibus egregiis Summo Sacrorum principatu dignissimus. 3 Oppiani scilicet, qui Corycius fuit, floruitque sub Senero, & Antonino pio, cui gratissimus fuit ob carminis elegantiam, ferrur ab eo tot stateres aureos dono accepisse, quos illi versus dedicaverat.

Herbosæ primum cautes, scopulique virentes,  
 Muscus ubi, & frutices passim nascuntur odori,  
 Fragrantes generant pisces, succoque salubres.  
 Tales Herculeæ 1 rupes, & saxa beati  
 Paulilypi muscosa ferunt, rupeſque Dicarchi,  
 Et Capreæ, & quæ 2 Sirenum cognomina servant.  
 At quæ sub tenero se gramine sternit arena  
 Lætior, illa gregi squamoso grata ministrat  
 Pabula, queis constans veniat caro, succus & uber.  
 Qualem, Nesi, tuo sub gurgite sæpe solemus  
 Despicere. ast ubi cæruleis obducitur algis,  
 Haud caro felici tantùm pinguedine præstat:  
 Estque salutifero tamen ubere, grataque gustu.  
 Talia Leucosiæ sunt cærulea, talis & omnis  
 Adriaci tractus, & Etrusci litoris ora.

Præterea quæ salsa sonantes æquora rivos  
 Accipiunt, multa pinguent uligine fluctus;  
 Nanque è præruptis felicem rupibus undam,  
 Fœcundumque trahunt limum, quibus humida ponti  
 Luxuriat gens multa: velut Cephalique 3 Tragicque,  
 Atque Lupi, atque Smaris, atque Anthias, atque Atherina.  
 At verò steriles fundi qui carpit arenas,  
 Gignitur exuccus, quamvis innoxius: at qui  
 Cœnosis gaudet, pinguis licet, utilis ille  
 Non ægris: Raizæ veluti, Rhombique, Bovesque.  
 Quique altum tenuere Canes, & grandia Cete.  
 Non homini Natura dedit. sed pinguior alter,  
 Gravior aut nobis, succoque salubrior ipso  
 Non illo est, reflua Tethys quem lætat in unda.  
 Tales angusti producant claustra Pelori,  
 Et Capreæ, Euripusque, & lætior ora Tarenti,  
 Quosque Propontis alit, quos educat Helleſpontus:  
 Et quos Oceanus per Gallica, perque Britanna,  
 Et per Ibera fluens, alterno perluit æstu  
 Litora, quique Rubri diffundunt marmoris undas.

Quin diversa licet pisces det Tethys eisdem,  
 Non tamen est cunctis eadem caro, nec sapor idem:  
 Sed variis veniunt pro conditione locorum,

Seu

*Refuso in  
 mari opti-  
 mi.*

*Varii pro  
 variis lo-  
 corum con-  
 ditione.*

1 Massa ad Delubrum. 2 Sirenum insulæ. 3 Li Galli 3 Mustela,  
 Hircus, Ital. Grillo, & Pesce Galea. Gal. Donzelle, Nostris Mustela.



Seu quòd non æquo descendant semina Cœlo,  
 Aut cunctis eadem non pabula: sive marini  
 Non omnes uno latent ab ubere fluctus.  
 Insignes dat Creta Scaros, dat Carpathos, & quæ  
 Perpetuò Libyca pulsantur Doride Syrtes.  
 Egregios aprica creat Synodontas Amalphis,  
 Illyricique maris scopuli: dat Julida dives,  
 Et Chromin Antopolis, Gaditanaque litora Fabrum,  
 Palladiæ 1 Mullum rupes, Pagrumque Dicarchum:  
 Et Rhombos Sinvesta, fugaces Thracia Thynnos.  
 Pulcher Erythræa pinguet Callichys in unda,  
 Tyrrhena Melanurus, Amyclæaque Lacertus:  
 Adriaca Sargus per Daunia litora: perque  
 Pausilypi collem, & viridem Nesida creantur  
 Exoffes Congri: fertique insigne ferentes  
 Dat Tethys Rhegina 2 Scaros, divesque Pelorus,  
 Umbraeque, Cytharosque, & lactifluas Anguillas.  
 Has & Mæandri vada læta, & lentus Anapus  
 Prognunt, Capreæque Sudes, magnumque Elephantû.  
 Engraulis Prochyte, cognataque corpora, Sardas  
 Jactat: Japyges & Polypos, Pinnasque Tarentum.  
 Murænas Siculi exoffes, 3 Egnatia Squillas.  
 Scyllæa Ziphitæ lætantur glande, levesque  
 In doctis Aphyæ semper celebrantur Athenis.  
 Passer in Oceano felix, & per vada dura  
 Sauromatum; gaudentque suo Salmone Britanni,  
 Et Germanus edax, magno sed Glanide Pannon,  
 Ægyptusque Latis: Acipensere lætior Ister.  
 Insuper his, magni latent sub gurgite pisces,  
 Quos nunquam è gremio prodit Neptunus avaro.  
 Retia non omnes unquam tenuere: neque omnes,  
 Audaces quanquam, pelagi lustravimus undas.  
 Multa latent homines, solis quæ cognita Diis sunt.  
 Argumenta tamen pauci venerunt, reclusis

Qui magis  
 laudandi.

Quos

---

1 Massa ad Delubrum. 2 Hic apud Siculos, & Rheginos appellatur  
*Pauvo coronato* ob callosam appendicem capitis instar coronæ, & sine  
 dubio Scarus antiquorum est: qui, ut ait Athenæus, in sciculum fretum  
 non raro excurrit: quique cum delicatissimus sit, & Scaro similis, præ  
 scaro habendus; & si unus me scrupulus angat, quod nimirum de co-  
 rona capitis antiqui retinuerint 3 Vrbs Apuliæ, ex qua Monopolis.

28 HALIEVTICORVM

Quos casus, & non imitanda audacia Piscis.

*Nicolai cognomente  
Piscis hystoria.*

Vir fuit Ocyrhoë genitus Crateride Nympha  
Muscosa Prachytes sub rupe, peritior alter,  
Quo non Delphinas, celeresque laceffere Thynnos  
Per spumosa matris fuit æquora, non & in alto  
Oceani durare sinu, vel fortior alter,  
Qui vitæ cohibere haustum potuisset anhelum.  
Admiranda ferunt super hocinam creber ab acta  
Euboica solvens, Siculæ Telluris ad oram  
Per Tyrrhena natans ibat freta, perque Sicana.  
Vix saltu in pontum sese demiserat: Ecce  
Jam Capreas, Lubramque fuga jam præterit; & iam  
Pæstanus niveo spumat sub pectore pontus  
Hinc te, 3 Leucosia, & te mox, Palinure, relinquit:  
Et 2 Blandam, 3 Paticumque secat: jam litora stringit  
Brettia: jam clausi prospectat claustra Pelori.  
Ipsi mirantur pisces, mirantur & Euri,  
Attonitæque retrò fugiunt, quas dividit, undæ.  
Interea volat ille, optataque litora tandem  
Lætus adit: victor Siculas & jam tenet oras,  
Qualis ab Euxina lapsus trans Bosphoron unda  
Ægæum secat, & Cycladas prætervolat omnes  
Delphinus celeri cursu, & vix deserit actam  
Retro spumam, ipsos habilis prævertere ventos.

Quin etiam cæco subter diffindere cursu  
Cæruleas consuetus aquas, velut æquora piscis.  
Sic Mamertino è portu non visus adibat  
Taurominum, Carinamque, & trans vada flava Symethi  
Victor ad Ortygiam caput attollebat ab undis.  
Hinc illum Euboici Piscem cognomine Nautæ  
Dicebant, & talis erat: quia plurimus usus  
Nativum potis est genium in contraria, & ipsam  
Naturam mutare, novosque inducere mores.

Quæ cum Trinacrius memorari facta 4 Tyrannus  
Audisset, majora fide, ad sese ilicet illum  
Acciti, magnumque unâ deserre ministros  
Cælatum argento, & mitis cratera figuris  
Imperat. Interea lunatæ Falcis in ipso

Li-

1 Licosa. 2 Belvedere, 3 Paola vide V. Naut. 4 Federicus Siciliae rex: vide quæ adnotavimus ad V. Nauticorum.

Litore, quâ contrâ fluctus insana Carybdis  
 Perpetuo torquet gyro, Manesque refundit,  
 Centum inter Procerum primos expectat ovantes,  
 Extemplo magna populi comitante caterva  
 Regem piscis adit: cui protinus ore Tyrannus:  
 Experiamur, ait, de te si vera feruntur.  
 Hic opus est factô famam firmare: nec ultra.  
 Confestim rapidam propter cratera Carybdim  
 Projicit in fluctus. simul hæc: Argenteus ille,  
 Et testis virtutis erit, & præmia discus.  
 Vix ea, cum magno laudis succensus amore  
 Corpora candenti lino citus exiit: ille &  
 Obsequii tibi testis erit, Rex maxime, discus,  
 Et testis famæ certissimus. inquit: & actam  
 Deserit, & pelago simul insilit, & subit undas:  
 Qualis ubi Proteus iactu se librat in æquor.  
 At non extemplo rediit de gurgite in auras.  
 Sed longam traxisse moram, mirantur in acta  
 Cum procerum cœtu, & tota cum plebe Tyrannus.

Scinditur intereâ vulgus pro more: ferocis  
 Pars ausum damnare viti; pars altera Regis  
 Barbara iussa: Deos, & ineluctabile Fatum  
 Accusare alios: sed frustra: quisque malorum  
 Est sibi molitor Deus ipse, est & sibi Fatum.  
 Hæc inter sese vario rumore ferebant  
 Vulgus iners, medio cum piscis ab æquore victor  
 Emersit, discum referens insigne Trophæi.  
 Vix conspectus aquis assurgere, lætus ad astra  
 Illicet exoritur clamor, victorque vocatur  
 Piscis: io victor geminatur terque, quaterque:  
 Lætitæque timor concedit: & ordine verso,  
 Omnia plausus habet, plausu sonat omnis ovantum  
 Turba virum, & læto plaudit clamore Theatrum.  
 Qualiter incertus vulgi cum rumor ad aures  
 Eventu belli trepidas pervenit, & ipsos  
 Non æquo sub Marte canit vicisse Gelonos.  
 Turbari nutant animi, pallentiaque ora  
 Confestim vanus timor occupat. ast ubi certus  
 Nuncius ad Patres venit, fusosque pudenda  
 Narra: cæde Scythas, positis & Jazygas armis

Per-

## 30 HALIEUTICORUM

Permississe duci, pacemque orasse Latinos,  
 Actutum pulsà acclamant formidine gentes  
 Victorem, festisque lacessunt aëra bombis,  
 Atque insperato replentur mœnia plausu.  
 Unus at Ocyrhoë genitus tot munera plebis  
 Læta inter, plaususque ducum pleno ore faventum,  
 Constitit attonito similis, nec murmura ovantum,  
 Nec quicquam magni curat simulacra triumphi.  
 Ceu quis, totus ubi defecit spiritus, aut cum  
 Infami eximitur laqueo periturus, & in se  
 Servatus redit, attonitus vix lumina torquet:  
 Vixque suis trepidans insistit cruribus; & vix  
 Ora movet stupefacta, metuque exterrita multo.  
 Hinc Regem tremefactus adit, cui talia: Discus  
 Hic ille obsequii tibi testis: At ò mihi quantum  
 Hoc stetit obsequium, laudisque incensa cupido.  
 Si vivo: fateor, vestro, Dij, munere vivo,  
 Ex Acheronte pii, qui me rapuistis: & ultra  
 Nil dedit. At mira captus novitate Tyrannus,  
 Hortatur fari quæ sint, quæ gurgite in alto  
 Vidisset portenta, ferisque horrenda Charybdis  
 Queis incincta minas intenderit. Incipit ille.

Admiranda quidem tibi, Rex, miracula rerum  
 Narrabo, trepido quanquam vix ore profari  
 Multa queam: nam totus adhuc præcordia circum  
 Purpureus terrore coit mihi sanguis, & omnes  
 Horrescunt cervicæ comæ, & vox faucibus hæret.  
 Ut fluctus subit, Siculo de litore vidi  
 Spumosum rapidis venientem fluctibus amnem.  
 Ut vidi, ut perii, ut me citus abstulit amnis.  
 Illicet abreptus medio torrente sub altam,  
 Incurvamque feror rupem, quæ concava subter  
 Horrendum gremio patet antrum: plurima & antrum  
 Perfundit. cæco prorumpens unda meatu.  
 Hic dea sæva lupis, canibusque incincta marinis,  
 Confidit vivo in saxo: spumantia propter  
 Equora vorticibus centum irrequieta recurvant.  
 Si vultum spectes, niveis si pectora manimis,  
 Si læves humeros, non despicienda decoro  
 Aspectu Virgo est, dirum, si cætera monstrum.

Un-

Undique sed rupem dextra, levaque tenentes  
 Immenſos vidi Polypos, nova monſtra Profundi,  
 Ingenteſque latrare Canes. Proh Numina! quantus  
 Hic me me timor invaſit, cum tendere chelas  
 Hinc inde immanes, avidoque dehiſcere riſtu,  
 Horreſco referens, proſpexi. vix calor hæſit  
 Oſſibus, & ſubito poteram periſſe, benigni  
 Ni me tunc Superi ſervaiſſent. vertere ſed quæ  
 Me tutò poſſem, ſuperaſque evadere ad auras  
 Haud notam: hæc illac, trepido per concava curſu  
 Ibam, forte viam ſi Sors, aut Fata dediffent.  
 Cum rediens maris æſtus (& hæc tum prima ſalutis  
 Affulſit mihi ſpes) vada trans concluſa reflexo  
 Eduxit torrente, marique immiſit aperto.

Egreſſus caſus omnes evaſeram, & alto  
 Tendebam Cælo victor, cum vortice in ipſo  
 Capdentem celeri gyro ſe voluere diſcum  
 Aſpicio, me laudis amor pervaſit: ibi omnis  
 Immemor, heu! caſus rerum, oblituſque pericli,  
 Atque mei (ſtimulis furor hic mortalia corda  
 Proh quantis violentus agit) ventò ocyus ipſo  
 Invitus rapior: favitque ingentibus auſis  
 Fortuna, è medio ſublegi gurgite peluim.  
 Aſt iterum in præceps jam me violentus agebat  
 Immiſſis novus æſtus aquis, cum Numina ſupplex  
 Qua poteram voce appello, niſuque valenti  
 Currenti obluſtor pelago, & me lucis in auras  
 Emitto. Dis vota piis nunc pronus ad aram  
 Perſolvam, ac poſti figam hunc pro munere diſcum.

At non explerus tanta novitate Tyrannus,  
 Et majora putans ſe poſſe oœulta ſub alio  
 Noſſe mari, famulos aliam deducere pelvim  
 Argento è ſolido grandem juber: haud mora magnum  
 Adducunt cratera, virò mox talia fatur  
 Rex Siculus: Tentanda tibi nova gloria palmæ,  
 Cunctaque Scyllæ ſunt exploranda ſub antro.  
 Si tantum favere, dabunt nunc Fata ſecundò  
 Fortunam, atque viam rapidi per vorticis æſtum.  
 Hæc ubi diſta, mari pateram projecit. & ille  
 Sic contra: Non iſta quidem, Rex magne, jubeto.

Nec

## 32 HALIEUTICORUM

Nec faciam: Sat erit semel evasisse periculum:  
 Nam bene Divorum non utitur ille favore,  
 Oblitus qui prima, novo temerarius auso  
 Se fidens Fatis in aperta pericula mittit.  
 Contra Rex urgere virum, dictisque precari,  
 Ut bene Divorum concessz fidere forti  
 Audeat: Audaces, quorum fiducia magna est,  
 Conciliant, dum posse putant, sibi Numina: quique  
 Non audent, posita malè spe, victique timore,  
 Aut non posse putare Deos, aut nolle videntur  
 Additi & id tandem sese jam velle fatetur.  
 His satus Ocyrhoe verbis non motus, iniquo  
 Attamen imperio, precibusque instante Tyranno,  
 Cogitur invitus non æqua facessere iussa.  
 Oranti quanquam res non parere Tyranno  
 Difficilis, cui jura preces, ratioque voluntas  
 Ipsa est, immotumque manet quodcunque jubetur.  
 Ergo amens animi, Fatoque impulsus acerbo  
 (Raro hominum rerum Fato prudentia major)  
 In freta prorumpit. miser, ah! non lucis in auram  
 Promeruit rediisse: mari cumulatus in imo est.

F I N I S.







J. H. Vincent Sc.





# HALIEUTICORUM

## LIBER II.

**P**rotinus undosi leges, & fœdera regni  
 Exequat: incœptum mecum percurrere laborem,  
 CARDENIDE, miranda tibi spectacula rerum,

Udaque cœruleæ gentis connubia, & ignes,  
 Atque odia, atque iras, & spumea prælia dicam.

Qui primus vasti discordia semina Mundi,  
 Diversasque uno conjunxit fœdere partes,  
 Ille Deum regnator Amor, qui singula sacro  
 Strinxit amicitia nexu primordia rerum:  
 Divisitque informæ Chaos, licemque diremit  
 Æternam: cæco qua carcere mixta vicissim  
 Frigida cum calidis certabant, humida siccis:  
 Perpetuumque novo firmavit lumine fœdus.  
 Ille & pugnantem discordi numine Divos  
 Conciliat, dulcemque serit super æthera pacem:  
 Et pacem terris largitur, & horrida pulsat  
 Bella hominum, jungitque animos, & pectora dura,  
 Hic volucres, hic bruta nigris errantia sylvis,  
 Et pecudes, sociatque boves, armenta que equorum.  
 Omnia necit Amor, vinculisque tenacibus arctat:  
 Mortalesque potens inter, gentemque Deorum est.

At miranda quidem dulcis sunt fœdera amoris,  
 Quæ muti servant pisces, turbæque natantum.  
 Certa fides thalami, sunt & connubia curæ:  
 Et prolis studium, & servandæ industria gentis:  
 Acribus & stimulis agitantur: & ignea in undis  
 Pectora zelus habet, durus Deus: & fera miscet  
 Prælia, & ingentes animorum suscitât iras.  
 Singula, quæ nostro jam nunc percurrere versu

*Ameris ne  
 xa omnia  
 cap. lvi.*

C

Ag-

## 34 HALIEVTICORVM

Aggrediar: nec vanus erit labor iste canenti,  
Nec tibi, piscator; namque hoc comprehendere prædam,  
Inque suo poteris pisces disperdere amore.

Cæruleæ quamvis omnes commercia gentes  
Læta ineant, nexuque alacres jungantur amico:  
Sunt tamen, ingenti studio quas prolis habendæ  
Fortius extimulat, viresque valentior addit  
Ignea vis: Muræna velut, Cephalique petulci,  
Et Scarus, & Polypus, atque ardens floribus 1 Euops  
Non secus infano Galei torquentur ab æstu,  
Ac Ziphiz, Thynnique: tremor ceu magnus equorum  
Corpora perterritat, notas cum detulit auras  
Improvissus odor: sic & tremor omnia versat  
Membra Canum, totoque agitat sub pectore flammæ;  
Cum notus vultus, Verque excirat ossibus ignem.

*Acras in  
piscibus  
amoris si-  
mulis,*

Acrius est 2 Merulæ sacer ardor: & unica Nymphæ  
Non satis est olli: plures uxori optat.  
Per scopulos, per saxa, tenet quæ plurima conjux,  
Assiduè multo succensus obambulat æstro:  
Nec potis est animo dulces avertere curas,  
Hunc modo perlustrat scopulum, modo fertur ad illū,  
Dulcia ubi charæ posuere cubilia sponsæ.  
Non illi vitæ cura est, requiesque labori  
Nulla, sed immenso suspirans deperit æstu.  
Decolor ut nigræ Cælum ferrugine Vesper  
Inlicit, & primo labuntur sidera mori,  
Sollicitus multâ pro conjuge circuit æquor,  
Et glaucos carpit frutices, muscumque virentem,  
Devectatque domum, & tota vix nocte quiescit,  
Verùm cum gravidæ fœtus deponere matres  
Incipiunt, uterique gravi sub mole laborant:  
Tunc ille infueto pectus percussus amore  
Anxius accurrit, thalamisque jugalibus adstat  
Pervigil, & trepidus nunc hanc, nunc visit & illam:

*Meruli ar-  
dor, & stu-  
dium in  
conjuges,*

Cum-

1 Anthias, sic dictus ab oculorum pulchritudine, floribusque, quos emulatur. 2 Oppianus Merulam, & Tardum ejusdem generis facit, Merulam marem, fœminam verò Tardum (uterque vulgò nostratum quemadmodum & Tardus avis, appellatur *Malviæ*) idque nonnullis ipsa formæ similitudo persuasit; ob quam horum piscium nomina facile permutata sunt, alii duas species faciunt, quod mihi vero similis videtur.

Cumque dolente dolet miser, & pariente laborat.  
 Hanc Medos vitam fama est, mollesque Sabæos,  
 Et Persas coluisse, sagittiferosque Gelonos,  
 Quique Indum, Gangemque bibunt: quibus aurea rædâ  
 Non unam Venus accendit, nec pronuba Juno.  
 Sed male conordes urit sæpè æmulus ardor.

At verò thalamum servat i Scorpxna pudicum.  
 Atque uni conjuncta viro, spe prolis habendæ,  
 Legitimum fovet amplexum, castosque Hymenæos.

Non hic præteream, quæ passim credita vulgò  
 Fama refert serpente super, cui cærulea nubit  
 Muræna: & siccis Hymen celebratur arenis.  
 Mira fides facti: sed Quæ discordia tantum  
 Fortis uti non nectat Amoris (quis credere possit?)  
 Non tamen optatos poscit per muræa nexus,  
 Quam lethale prius deponat caute venenum,  
 Usque adeo sincera fides debetur amanti:  
 Et si verus amor, nullum est in amante venenum.

Ergo ubi tempus adest rædas celebrare jugales,  
 Arcanis coluber stimulis volat æctus ab umbris  
 Litus in undosum: totumque è pectore virus  
 Ore vomens, saxo bilem concredit amarâ:  
 Hinc caput attollit quatiens, & sibilâ colla,  
 Eque suo Nympham recto vocat. ilicet illa,  
 Ut ferit vox nora, & amicus sibilus aurem,  
 Exilit in litus vitreis è fluctibus, & se  
 Vibrat in amplexus, & lubrica circuit anguem.  
 Mox hæc in pelagus gravis insilit: ille repostum  
 In saxum repens se devehit, atque venenum  
 Ebibit, & lucos rediens invisit opacos.

Ast illud mirum est, virus si forte viator  
 Abstulit, aut siccâ ignarus pede pressit arenâ,  
 Amisâ porit infelix tunc vipera bile.  
 Scilicet ingenium cui primùm sæva malignum,  
 Et virus natura dedit, fraudemque nocendi,  
 Haudquinè nati vo poterit durare veneno.

C 2 Hinc

1 Scorpius, & Scorpxna sint ne ejusdem speciei, dubitat Athenæus, sed differre, ut & succo, coloreque, censent nostri, quibus suffragatur Arist. Oppianus, Plinius; quare fallitur Eusebius, qui sexu tantum differre arbitratur.

Scorpxna  
 pudicicia.  
 D. Ambros.

Vipera, &  
 Muræna et  
 jugum.  
 Orus Apol.  
 lo in Hiero.  
 Alianus, &  
 liique.

36 HALIEVTICORVM

Raja, Squa-  
tinaq; per-  
mixtio; ex  
qua Rhi-  
nobaton. A-  
nikoteles.

Quare in  
Libya va-  
ria mon-  
strorum  
forma.  
Plinius.

Varia Pi-  
scium su-  
dia.

Hinc & digressus, Raja, Squatinæque furores,  
Et vetitos dicam thalamos, prolemque biformem,  
Interdum Raja, ut perhibent, maleficus adulter,  
Alterius thalamos, inconcessosque Hymenæos  
Affectat generis: stimulis & agentibus ipsis,  
In Squatinam ruit, & nullâ vi sponte volentem  
Supprimit: hinc proles educitur illa biformis.  
Rhinobaton 1 docti quondam dixere Pelasgi.  
Diversum quæ mixta refert genus: ora supernè,  
Atque humeros Raja similis, pellemque, coloremque;  
At verò in reliquis Squatinæ par omnia membris.  
Non aliter Libyâ in vastâ, quæ corniger Ammon  
Regna tenet siccis sitientia semper arenis,  
Et Meroës deserta jacent, saltusque 2 Syenes,  
Cum stimulante sui sub stagna, & flumina rara  
Convenere feræ, Tigresque, Urisque rapaces,  
Pardalis, atque Lezæna, venenatique Ceraatæ;  
Plurima per densas nutrit quas Africa sylvas,  
Hic ubi jam rivos poterant gutture anhelò,  
Permixtim rabie impulsæ, cæcoque furore  
Miscentur, variumque genus non debita poscit,  
Hinc illæ insueta generantur imagine formæ  
Monstrorum, visu turpes, rituque tremendæ.

Sed non unus amor, non piscibus una medullæ  
Est flamma, aut generis nativi sola cupido,  
Caprarum infano Sargi capiuntur amore,  
Et pastoris amant velamina: Palladis ardet  
Florentem Polypus oleam: spumosa per alta  
Quæ fluitant fragmenta ratum, quas ira procellæ  
Disperit violenta, marique immerit aquoso,  
Hippuri affectant alacres, circumque residunt:  
Et lætos celebrant ludos, nectuntque choreas.  
Quique comes rapidis it puppibus, atque nitentes  
Insequitur spumas, et ætosque per æquora sulcos,  
Lætus arundineâ gestit Pompilus in umbrâ.  
Vesparum illæcebris 3 Mænæ captantur: & udos

Nón

1 Rarissimus piscis est, cumque Squatina confunditur: *Cetola*, quasi  
cithara, nostri vocant: Græci verò hujus temporis Rhinon. 2 Vide  
li. VII. Naut. 3 Nostri piscatores Mæne etiam vocant.

Non spernūt Thygni 1 Cephos, quibus humida præ-  
Nutrimenta; leves illi dum pone sequuntur (bena  
Prædantes ipsos, piscesque impunè trahentes .

Salmones Acipenser amat: cætuque frequenti  
Salmones illum sectantur: ovansia propter  
Ceu glomerata suum procedunt agmina regem.

Sunt quos delectant numeris animata canoris  
Carmina, vocalesque fides, sonitusque metalli.  
Utraque 2 Thrissa velut, currit quæ cærule falsa,

Quæque eolis dulces rivos, & amœna fluentia.  
Idcirco in medio piscantes flumine 3 nolam  
Suspendunt, strepituque vocant ad retia Thrissas.

Et gaudent Thrichides tinnitibus: est & opimis  
Murænis etiam, ut perhibent, aurita voluptas.

Argolicis 4 Galeota modis mulcetur: & ipse  
Ad cantum niveus vitreo salit æquore Delphin.

Ast alii reddunt vocali è gutture voces,

Castorides 5 veluti, quæque alta volucris Hirundo  
Summa fecat, Rhodiique rubens Scarus incola ponti,

Atq; Lyræ atque Chromis, 6 Capriq; & flumineus 7 Sura,  
Mus 8 quoque grunnitus, Achelorus edit: & olli,

Sit licet exiguus, vis est sub dentibus ingens:

Queis audax telis, & duro tergoe fidens,

Bella inferre viris, & magnis piscibus aude.

At non squamigerum murum genus edere voces

Crediderim veras: quia cuncta sonantia desunt

Instrumenta: velut pulmo, gutturque repandum,

Et quæ vocales arteria devehit auras.

At voci similes creduntur fingere vulgè

Alarum stridore sonos: seu plurimus ipsa

Scilicet inclusus teritur dum spiræus alvæ

Collisus latè reboat vocalis ad auras.

Non tamen Oceani prolem, Theridisque marinz:

C 3

So-

Qui piscat  
canta, sona-  
que delo-  
rentur.

Qui voca-  
tur.

Non tamen  
veras red-  
dunt voces,  
& quare.

Cur voca-  
les dicantur.

1 Aves aquaticæ, è lustrarum genere: quidam Fulicas interpretantur. 2 Aloia, & marina, & flu: 3 Campanum es, seu tinniaabulæ, à Nola Vrbe, ubi primum inventum. 4 Sic etiam appellatur Ziphia, qui latinè Gladius est. 5 Castor animal amphibium quadrupes, dicitur etiam canis Ponticus: Italis Bivaro Gallis Bifre, & Brieve. 6 Aper. 7 Aper fluvia: 8 Aper Acheloi, Pesca Ratto, & Porcello.

*Nereidas ;  
Sirenes  
vocales esse*

3. Nereiferumque 1 genus Nerei vaga cœcula cantu :  
Mulcere, & blandè numeris resonare negandum est :  
Nam Surrentino nuper sub litore vidi

Cantantes Pelagi Divas, dum lucida Phœbe  
Fulgeret tremuli pacata per æquora ponti.  
Cantu quo rupes longè pulsata sonabat,  
Muscosæque levi surgebant murmure cautes :  
Atque ipsi pariter saliebant gurgite pisces,  
Audiit inatonso prospectans colle Minerva,  
Altaque 2 Telebois, iussitque edificere nautas.

Quis novus, ò Musæ, cantanti sibilis aurem  
Perculitæan Zephyrus submurmurat? ane canoræ  
Sub paribus repetita modis dant carmina Nymphæ?  
Haud ignara quidem Vatis mens fallitur. Ipsæ  
Ægæi procul è fluctu me dulce canentes  
Sytenes tevocant 3 Acheloides. Est nemus altum  
Gythæi 4 propter litas, quâ murmure rauco  
E. 4 Chironio lapsus summo sinuosus oberrat  
Eurotas 6, piæque intexit jaspide ripas,

*Spreto  
metaphor-  
phosis.*

Hic olim cœtus inter Diana sororum  
Virgineos de more choros agitabat in umbris:  
Quam circum denso glomeratæ Naiades orbe  
Insignes arcu errabant, nitidaque phœtrâ:  
Perque humeros nivez diffuso erine Napææ  
Centum ibant, Dryadesque, & Oreades: inter & illas  
Sytene comites aderant, cantuque beato  
Implebant latè nemus omne, & sydera Cœli.  
Forte ex adverso 7 Cranaës de litore Glauci,  
Phorcique adstabant, & amicam rupibus umbram  
Carpebant, nullo armentis custode reliquis:  
Qui sensim nimia capsi dulcedine cantus,  
In sylvosa citi contendunt litora: Nymphas  
Hic ubi prospiciunt, insano protinus igne  
Corcepti, fraudem meditantur: & inter opacas  
Se condunt rupes: ubi densis plurima sylvis

Op-

1. Nereidum, ac Sirenum Historiam lege apud Alexandrum ab Ale-  
xandro lib. 3. cap. 8. & Nierembergium hist. Natur. lib. 5. ca. 13. 2. Ca-  
prez Telebois olim habitata. 3. Quia Acheloo, & Terpsichore ge-  
nita perhibentur. 4. Oppidum Laconie, Colochina 5. Mons Pello-  
ponnesi Cœcoros. 6. Basilipontus. 7. Insula contra Gythium.

Opposita dolis florebat cœrula myrtus.  
 Jam ludo defessa nemus Diana repostum  
 Naladum, Dryadamque choro stipata petebat;  
 Apricos verò colles, & litora amantes,  
 Eurotæ celeres ibant Syrenes ad ora.  
 Huc ubi trans saltus Nymphæ venire, latentes  
 Aspexere Deos; subita formidine captæ,  
 Janque referre pedem, & nigris se condere lucis,  
 At celeri ardebant fociis se reddere gressu.  
 Verùm cœrulet cœm Dii, nil fraudis inesse:  
 Sed tantum se velle Deas audire eanentes  
 Dixere; & voces laudare, & mollia verba,  
 Acrisul lenire animum cœpere petulco,  
 Amissum tandem miseræ doluere pudorem.

Sed postquam scelus è vultu Diana pudendum  
 Casta recognovit (sceleris certissimus index  
 Ipse sui vultus; taceas licet, ora loquuntur)  
 Iusta ardens irâ pro virginitatis honore  
 Amisso, monitisque suis, & numine spreto-  
 (Hos etenim monitus dederat; ne litora, neve  
 Apricos petèrent colles, aut fluminis ora:  
 Et nunquam æquoreis audereat fidere Divis.)  
 Pube tenus jubet esse feras, & crura, pedesque  
 In duplicem vertit caudam, Glaucisque marinis  
 Assimilat Divas, redditque informia monstra.  
 Discite virgineum moniti servare pudorem.  
 Illæ nequicquam lacrymis, precibusque Dianam  
 Poscentes veniam: nec tantum ferre valentes  
 Dedecus, in medium se demisere profundum.  
 Scilicet ingenuis quocunque occumbere Fato  
 Præstat, quam turpem per turpia ducere vitam,  
 Auxilio venere Deæ Nereides, & quæ  
 Eurotæ fluctus Nymphæ tenuere beati:  
 Affuit & Tethys, casumque misera Dearum,  
 Equoris esse dedit Divas: Nereja qualis  
 Cymmodoce, Galatea, Thaliaque, Phyllodoceque,  
 Pectore quæ niveo spumantem Dorida sulcan:  
 Et dulci placare Deos modulamine, & ipsos  
 Auritos etiã pisces, & cœrula monstra.  
 Tu cave ne cantu capiaris, & ore doloso:

40 HALIEVTICORVM

Nanque unum hoc illis solamen, & una voluptas  
 Restat adhuc, blando nimirum fallere canu  
 Incautos Nerei currentes æquora nautas .

*Piscium in  
 dustria in  
 alida, suum  
 daq; prole.*

Insuper undosæ gentis non prolis alendæ  
 Cura levis, Cæli cum primùm emissa sub auras  
 Devenere, fovent extensis pignora palmis:  
 Et per spumosos se circum ludere campos,  
 Cæruleisque innare vadis, cursusque per altum,  
 Obliquare docent: tenerisque alimenta ministrant.  
 Hostiles arcent incurfus, seque parentes  
 Obiectant, proprioque tuentur corpore natos.

*Galei, Glan  
 ci, & Canes  
 parvus in-  
 tra se con-  
 dunt Antif.*

At Galei, Glaucique, timor cum proximus urget,  
 Insultantque feræ jam dentibus, ore tenellos  
 Accipiunt fœtus, tutaque in fauce recondunt.  
 Sed pietas miranda Canum: de gutture in ipsum  
 Immittunt uterum, medioque in viscere condunt,  
 Descendunt illi faciles, iterumque recurrunt,  
 Quò prius emissi Solem videre supernum,  
 Perfugiumque petunt vitæ, vita unde profecta est.  
 Verùm cum pisces jam discessere feroces,  
 Atque animos pulsa capiunt formidine matres,  
 Lætæ iterum pariunt sua pignora, seque timore  
 Exonerant, agilesque secant salis humida regna,  
 Festivo matrum lusu post terga sequuntur:  
 Et rursus gaudent conspecto lumine nati.

*Thoca soles  
 sia, Oppia-  
 nus .*

Maxima sollicitos curandæ industria prolis  
 Exercet Phocas: medio non æquore fœtus,  
 Sed sicca patiunt Tellure: cavisque sub antris  
 Diffusos circum distenta per ubera laquant:  
 E mammis niveum quoniam lac effluit, ore  
 Certatim catuli potant, luduntque perulci.  
 At post bisseos revolutos ordine Soles,  
 Roscida cum nitidis surgens Aurora quadrigis  
 Contextit terram radiis, Cælumque coruscis,  
 Spumea paulatim fœtus ad litora portant,  
 Et çrurum tenuis aspergi gaudentque, sinuntque.  
 Sæpius id peragunt, quò tandem nare periti  
 Cæruleas habiles percurretant Tethyos undas.  
 Ac velut externis gnatum connixa sub oris,  
 In patriam longo rediens post tempore mater,

Osten-



Offendit puero genus unde, & nomina duas,  
 Antiquosque Lares, & avitæ insignia gentis:  
 Fortunamque domus dicit, ritusque parentum.  
 Sic teneros Phocæ vitulos in falsa reportant  
 Æquora, nativosque Lares, & vitrea monstrant  
 Testa domus, tremuloque undantia marmora fluctu:  
 Atque vias pelagi varias, cæcosque meatus,  
 Diversumque docent populum, & genus omne natatû.

Ingenium mirum Salmonibus indidit ipse  
 Juppiter, & partu solertes fecit habendo.  
 Aurea stellaticum Sol palcaria Tauri  
 Occulit, lætæ florent quo tempore sylvæ,  
 Pulcher & apricis vernat prospectus in agris,  
 Ut primùm Oceano fluvios petiere relicto,  
 Prima illis est cura, locum captare repostum,  
 Mollis ubi sabulo, rapidusque revolvitur amnis:  
 Hic altas de more scrobes, quibus ova reponant,  
 Effodiunt: quæ rore suo mas irrigat ova.  
 Inde tegunt nidos, & multo vimine firmant.  
 Egregia simul arte lætus tutantur utrunque  
 Aggetibus circum impositis, atque arbore vallanti:  
 Ne fortè arripiant de vexo flumine fontes.  
 At quæ Solstitio mandantur plurima nidis  
 Ova, vel Autumno pingui, cum mitia passim  
 Poma jacent, gravibusque gemit vindemia prælis;  
 Exaucto jam, Vere novo, se temporeumpunt:  
 At teneros liquido catulos dant ludere rivo.

Ipsa etiam, ut perhibent, è piscibus uda marinis  
 Lentisco è tenui cunas, muscoque virenti  
 Compingit medio Phycis paritura profundo.  
 Salpaque litoribus ponit vilissima nidos,  
 Et tempestates contra, fluctusque tuetur,  
 Aut algæ è viridi, sive aggere mollis arenæ.  
 At nitidos inter lapides, scopulosaque propter  
 Litora connixus deponit Gobius ova.

Quæ subeunt, miranda magis: sine feminis haustu  
 Nonnulli ex se concipiunt: cæu Phroxinus agro  
 Effulgens nitido, & felici sumine dives,

*Salmonum  
 ingenium,  
 & quo ite-  
 pore nidos  
 parituri fa-  
 ciant: Ge-  
 sacrus.*

*Qui ex se  
 concipiunt  
 ex aliorum  
 placitis.*

Pet.

Perdixque 1, 2 Channaque, & purpurei Erythini.  
 Hæc multis menti sedit sententiæ, at ipse  
 Naturam, rerumque nova observata secutus,  
 Aversum maribus, ventoque afflante putarim  
 Formineum potare genus primordia fœtus.  
 Ceu traduntur equæ, cum perfurit ignis, Iberæ  
 Conversæ in Zephyrum genitales flamine rores  
 Accipere, extemploque graves turgescere vento.

*Aurhoris  
 opinio.*

*Aphya ul-  
 trò prove-  
 niunt, ut  
 Rana.*

At vero imbelles Aphyz non semine jacto  
 Proveniunt, lætæ nec lactant ubera matris:  
 Sed spumante mari, pluviisque cadentibus, ultro  
 Sese vitales emittunt lucis in auras.

Quales, Nola, tuos imber cum plenus in agros  
 Decidit Ætate in mediâ, de pulvere natæ  
 Assurgunt madido, crocitantque per herbida ranæ.  
 Cæruleo interdum è limo, puerique palude  
 Sponte sua veniunt: idcirco cæcula nantes  
 Lenta secant agiles, pontoque licentius errant.

*Aphyarum  
 prudentia,  
 Aelianus.*

At mira est Aphysis prudentia: turbidus instat  
 Cum Notus, & nigri contexunt aëra nimbi,  
 In transversa vagæ ne forte ferantur ab æstu,  
 Perfugium sub caute petunt, saxoque repostis,  
 Inque latebrosi se condunt muricis antro.  
 Ast Aphysis 3 delatus honor. Janque aurea Vatem  
 Invitat, nutuque favet Lucina benigno.

Sit quanquam fœcunda maris gæus squamea, certas  
 Concessit Natura vices, & tempora, partus

*Quoties in  
 anno saxa-  
 siliû quisq;  
 pariat. Ari.*

Quisque suos, Cœli superis quibus inferat auris,  
 Qui scopulos, & saxa tenent viridissima musco,  
 Bis anno gaudent felices cernere fœtus:  
 Cyaneo velut ore Scarus, Turdusque smaragdæ  
 Concolor, & socios inter velocior omnes:

Rapto-

1 Maris perdix ob succi suavitatem, salubritatemque Solea dicta est, hic verò Arist. de Perdice, non verò Solea loquitur. 2 Græcis, quæ Lat. *Blacus*. 3 Allusum ad proverbium, Aphyarum honos: dicitur quoties humilibus, exiguis licet, suis contingit honos, hinc & illud aliud: Aphyz honos oleum. Aphyas autem è spuma nasci cum Oppiano consentit Aldrovandus, etiam reclamet Arist. argumentum verò est; quia quolibet anni tempore reperitur, ex Aphysis quæ albæ sunt Cobites dicuntur, teneriores, & exosæ: & nos has *Cicinielli*, Ligures *Bianchetti*: reliquas verò cum cæteris pisciculis *Fragælie* dicimus.

Raptoreſque Lupi, Perceque. At Scorpius alvo  
 Dat quater è tumida fœcundo femine natos,  
 Ante vagus totum quam Sol luſtraverit orbem.  
 Terque utero Coracinus habet: ter nititur: & ter  
 Purpureus ſupplex Lucinam Mullus in anno  
 Invocat. hinc Grajo Trigle cognomine diſus:  
 Sive 1 ſacer quoniam fuerit tibi, diva Triformis.

Qui primò non viva ferunt antimantiã niſu,  
 Ova ſed emittunt, longo quæ tempore pullos  
 Dant matura, ſemel pariunt: ceu Salpa ſub algis,  
 Atque inter frutices, & cautes Gobius udas.

Verum Phittacci, veluti Soleæque, Bovesque  
 Rhombique, Rajæque, & ſæva cuspide 2 Trigon:  
 Veloces Aquilæ, & Torpedinis enthea virtus,  
 Vix anno ſemel enixæ dant pignora. Mænx  
 Exonerant ſeſe Brumã: ſed Vere laborat  
 Hippurus, violæque Smaſis, qui concolor ardet:  
 Et candens Atherina: cui Lucina maligno  
 Affulget radio parituræ: è viſcere fœtum  
 Non prius educit, quam molli plurima arenæ,  
 Uſque reluctantem pandi, ſepè affricet aluum.  
 Iſſi etiam vitrides nituntur vere Lacerti,  
 Salmoneſque vagi: totum ſed læta per annum  
 Fert prolemi Mutæna. Poſto cum Cypridis aſtrum  
 Præfulſit medio, genitalia ſemina ſcombrus  
 Accipit: aſtiſeto Caneri reddenda ſub aſtro:  
 Tempore quo dives progignit Lucius, & quo  
 Deponunt faciles 3 Etychini pondera ab alvo,  
 Fœcundum ſemper ponti genus, ubera pingui  
 Ova ferunt utero, ſparſimque per æquora pubem  
 Innumeram læti fundunt, ſed ſtagna; lacuſque  
 Quino implent partu, & numeroſa prole Cyprini.

Dum nitidis claram ſtellis Puer aureus urnam  
 Verſat, & ambroſio perfundit ſydera rore,  
 Accendunt Polypi tædas ſub caure jugales.  
 At verò ut raris eſſuſſerit ignibus Helles  
 Porritor, & toto perquisit velleræ Cœlo,

*Quoties,  
 qui ova  
 emittunt.*

*Quoties  
 Plami.*

*Atherina  
 in parieu-  
 do dolor.  
 Ariæ.*

*Que Poly-  
 pi tempore  
 pariunt; ut  
 que ovæ in-  
 cubent.*

Ova

1 Mullus Dianæ Hecati dicatus à veteribus fuit. Iovius. 2 Eadem  
 ac Paſſinæca, cujus radius venenatus. 3 Appulis Lætrino.

44 HALIEVTICORVM

Ova racematim nituntur pinguis centum-  
 Quæ, gallina velut, postquam, mirabile dictu,  
 Quinquaginta dies amplexu formina fovit,  
 Multipedes excusa mari dant plurima gentes.

*Uz inter  
 partus do-  
 lores sepe  
 pereant.*

At quia difficile mittuntur pignora, acerbo  
 Correat interdum Polypiperiere dolore:  
 Atque infelises lucem severe supremam,  
 Edere dum sobolem conati lucis in auram.

*Sepia, & Lo-  
 liginis fa-  
 ctura, & ubi  
 ova expo-  
 nant.*

Tempore non alio progignit Sepia, Soles  
 Terquinos tamen illa suis superincubat ovis,  
 At verò ex illis redduntur singula tantum  
 Corpora, quot pariter reddunt Loliginis ova.  
 Ast hæc in medio paris æquore: licet at illa  
 Saxorum counixa tenet, quæ plurima circum  
 Alga vires, fruticesque udi & fluvialis arundo.  
 Idcirco virides piscator in æquora fasces  
 Projicit: inque illis cum nidus Sepia fixit,  
 Extrahit in siccum, & felicia subripit ova.  
 At piscis quanquam, tamen album novit, & atrum  
 Sepia, nonnunquam fraudem declinat iniquam.

*Leporis itæ.*

Inque utero fert ova suo peregrina 1 Lagois,  
 Quæ Lepus est nostris, quo non feritate veneni  
 Neptuni turbat vada salsa nocentior alter.  
 Imbellis tamen est: primùm natalibus undis  
 Ut crevit, trepidus se 2 Teuthidos abdit in antro,  
 Ex illa veluti genitus: non hospita Teuthis  
 Respuit, & propria nutrit cum prole Lagoum.

*Quo tempo-  
 re Locusta,  
 crustaque  
 alii parit.*

Appico roseæ copulantur Vere Locustæ:  
 Dant partus Æstate: riget dum frigore Bruma,  
 Astacus 3 amplexum sub caute requirit odora:  
 Ova sed, Arcturo primùm surgente, recudit.  
 Non alio rufi quam verao tempore Cancræ  
 Lucinam, Squillæque vocant, fuscique Paguri,

Et .

1 Plinius offam informem vocat, nobis est *Fongo marinus* à materia  
 fungi simillima. Gallis est *Pota du mer* aliis *Imbrigo*, Hisp. *Labre de  
 la mer*, aliis est *Pulmo Marinus*. 2 Sic Græcè, quæ latinis *Loligo* est.

3 Italis *Gammaro* Venetis tamen *Astace* antiquo nomine, ut vocatè  
 Adriatici maris æcolæ *Astaco*, Hisp. *Camaron*, Gallis *Ligumbule*, *Lem-  
 gnon*, & *Escrévice de mer*.

Et magna hirsuti gestantes corpora 1 Maiz  
Verum byssiferæ venit ipse putamine 2 Pernæ  
Scyllarus 3, & socius manet indivisus in illa.

Disce puer, Mustela, Canes, versutaque Vulpes,  
Et cur Carcharias, Galeumque exercitus omnis  
Sepè suos edant prægnanti viscere fœtus.

Plurima paulatim circùm præcordia crescunt  
Ova, levi succo quæ mox concreta, sub alvum  
Singula quæque suo descendunt ordine: & illi  
Ut perfecta animam cepere, recluditur hædus  
Vipereo de mote, natatque per æquora vivus.

At tu, populæ qui laberis amne Mosellæ  
Liberior, prolem sub Cancro, Barbe, rubenti  
Florentes inter ripas exponis, & ipse

Florentes sis quamquam pingui cum major, ab atro  
Attamen ora tuo defendam sedulus ovo:

Quippè venenatum condit sub cortice succum.  
Ast Athesis qui stagna colit piscosa Thymallus,  
Et qui dulce thymum, vel flavum demetit aurum:  
Fontis honor vitrei, & nitidus flos ille natantum,

Pæstantisque rosis, & floribus æmulus Hyblæ:  
Quique ipsum spirans Adæum vincit Hymettum,  
Lenzo spumante, furit: sed Vere tepenti  
In ripis sobolem, & flaventibus educat undis.

His jam digressus spatiis, dicenda canenti  
Ingenium superest varium, moresque natantum,  
Quique animi, & dubiis quæ sit solertia rebus.

In primis te mira, puer, natura Draconis  
Ne lateat: dextra si fors comprehendere tentas,  
Adnifus totis nunc viribus ille resistit:  
Moliturque fugam: sed si captare sinistra  
Aggrediere, citius cedit, mirabile dictu.  
Præterea, si vera canunt, cum sanguine fibræ  
Vere novo surgent, Cypriusque exæstuat ignis,  
Piscanti si forte viro sua spicula fixit,

Per-

*Cur Canes  
sape parvitas*

*Barbi saty-  
ra. Gelye-  
tus.*

*Et Thymal-  
li, eiusque  
descriptio.*

*Mira piscium  
ingenia, et  
mores,*

*Et primam  
Draconis.*

*Alianus,*

1 Majores Canceri, nostris *Granci Folloni*: aliis *Specchio*, Hisp. *Chabro*,  
Gallis *Trainge de mer*. ac Provincial. *Squinade* 2 Eadem, ac *Pinna*,  
sic dicta, quia sicuti cruri similis. 3 Parvus Cancellus conchis ad-  
natus, nostris *Grancistello*, Tarentinis *Cauro*, Liguribus *Brancho*, Hisp.  
*Grancio*, Gallis *Bernard*, & Bisc *Cambe*.

- Gillius. Perfimiles ipso confestim ex vulnere nati,  
 Assurgunt vivi pisces, luduntque per æquor.  
 Nimirum quia fecundum quoque vulnus amatum est.
- Lupi astus, ut vesibus effugiat Oppianus.* Est & magna Lupi solertia: nescius inter  
 Cum labyrinthi descendit carceris antrum:  
 Nanque ferox licet ille, tamen vitare 1 Panagrum  
 Ingenio solers, multoque enititur astu.  
 Subter arat pinnis, & duro retia rostro:  
 Vique viam facit, implexoque recurrit ab orbe,  
 Hac vaser interdum, perhibetur Mormylus arte  
 Subter ab effosso perlabi 2 Dytia sulco.  
 Mixta furore minor non est audacia cæci  
 Labracis 3, inflexo pendet dum fixus ab unco.  
*Lupi audacia, utque ab hamo se liberet.* In rabiem furit actus, & æquore saltat, acutum  
 Si forte excutiat ferrum: scinditque dolorem;  
 Et majora aperit sibi vulnera: sed tamen urget  
 Quo lacero tandem de gutture diffluat hamus.  
 Nam periisse iuvat, pereat si liber ab hoste.  
 Janque Scari dicenda subit prudentia: nassam  
 Ingressus, totam postquam consumpserit escam,  
 Ut cæco advertit conclusus vimine fraudem,  
 Et jam Fata sibi timet anxius, inter iniquos  
 Non caput intrudit radios, nec fronte supina  
 Obnixus meditatatur iter: ne lædat acuta  
 Vimen acu frontem, tenerosque exulceret ignes.  
 Sed crebrò maculis insultat verbere caudæ  
 Aversus veniens, quo tandem liber in æquor  
 Disrupto nassæ textu, nodisve recurrat.  
 Interea propter nassam secat humida si quis  
 Cærula fortè Scarus, volat ocyor, atqueprehendit  
 Captivi caudam rictu, nisuque valenti  
 Luctantem inviso retrahit de carcere captum.  
 Idcirco Natura Scaro, si cedere dignum est,  
 Dicitur aversas fecisse in tergore squamas.  
 Quin etiam ferro si fors Scarus incidit unco,  
 Auxilio socij properant, atque acribus atras

Den.

1, 2 Rarum species, de quibus infra. 3 Labram Cæcis, qui lac-  
 lupus.

Dentibus adrodunt fetas, vinctumque reducunt,  
Usque adeò fraternus amor, generisque tuendi  
Exstimulat pietas ipsos vel in æquore pisces.

Callida se curvo defendit Iulis ab hamo:  
Non impunè tamen furatur sæpius escam.

*Iulidis cal-  
diditas.*

Imbellis, timidusque licet Melanurus: at illi  
Ingenium mirum, & Fato prudentia major,  
Qua vimen caver implexum, citus & fugit hamum,  
Nam miserum licet usque fames hesternæ fatiget,  
Non tamen oblasas auder contingere mensas:

*Et Melanuri, qua ca-  
vet ab ha-  
mo.*

Novi enim vaser, ut molli later hamus in esca,  
Quin etiam tremulo ridet dum marmore Tethys,  
Saxa frequens securus habet, penitusque subimum  
Descendit sabulum, & piscantis retia vitat:  
Ast ubi turbantur vada cæca, frenumque procellas,  
Turus adit spumas, & pisces gutture mandat.

*Melanurus.*

At verò è linis, vel arundine callidus hamum  
Pendentem ut præda Polypus videt, hic quoque multa  
Decipit arse: levi circum popularum opinam,  
Suctu escam, ridetque dolium piscantis avasi,  
Et puer ut calamum superelevat, ille reflexis  
E cirris præda vacuum citus expuit uncum.

*Mirus Po-  
lypi astus.  
Ovidius.*

Insuper, ut Nereus circum strepit, & tumet æquor  
In transversa tuens, se cirris pumice firmat,  
Grandia vel stringit complexu saxa tenaci.

*Item soler-  
tia in tem-  
pestate.*

At se Loligo, & seruposa Sepia rapi  
Applicat, & fixa promusoidæ fundat arenis.  
Anchora spumoso veluti sub gurgite iacta:  
Consistit securo maci, remnitate procellas.

*Et Loliginis  
& Sepiæ.*

Sed jam velivola contextus ab æquore concha  
Nauticus i. a. alluegit visu jucunda daturus  
Fluëti vagas inter scenas spectacula nautis.  
Ingenium mirum ostendit piscis, freta cærule, vento  
Flante, secat, pinnisque velut cava navigat altum;  
Nautilon. hinc citum. Scævi dixere vocantes.

*Mirum  
Nautili in-  
genium.*

Cum

i. Nostris *Moscardino*, & *Moscarolo*. Sunt multæ Nautili species: quidam habent concham scævi modo carinatam inflexa puppe, proa rostrata. Præterea conchæ Veneris, ut Plinius tradit, etiam nautili modo navigant, de his conchis lib. VIII.

Cum Zephyri summas impellunt leniter undas,  
 Pronus ab Oceano consurgit, concava multum  
 Accipiat ne cæta vadum: subitusque supino  
 Pectore conversus, geminas ad sydera chelas,  
 Antennas velut attollit, parvosque rudentes:  
 Quos inter tenuem membranam expandit: & illa,

*De velo fa-  
candis au-  
vis navigari*

Ceù puppis velo, venientes accipit auras:  
 Et canum lento fugiens trahit æquore sulcum.  
 Pro curvo temone pedes demittit, & illis  
 Sese per fluctus, cursumque ratemque gubernat.

*At remis  
tranquillo  
mari.*

Sed pacata silet cum Doris, & Æolus antro  
 Frænat in Æolio ventos, tunc crure remisso  
 Hinc illinc gemino, ceù remis dividit undas:  
 Estque sibi navis, ve&torque, idemque Magister.  
 Verum ubi jam scopulis assultat crebrius unda  
 Rauca sonans, sensumque Notis perflata tumescunt  
 Marmora confestim demittit tenuia vela,  
 Colligit & funes intus, clavumque reponit,  
 Et gravis epota reddit se Doride fundo.

*E Nausilo  
navigandi  
artem pri-  
mi didice-  
runt.*

Ceù ratis in portum se, dum collisa reclamant  
 Saxa vadis, cœlique tonat domus alta, reducit.  
 Hinc ego crediderim, nec me sententia fallit,  
 Qui primus secto compegit robore puppes  
 (Sive aliquis fuerit Deus ille, & credere par est,  
 Sèù mortalis homo, vastum tranare profundum  
 Ausus, & ignotis commercia jungere terras)  
 Accepisse modum formandæ navis, & artem  
 Tollere quâ malos, linumque expandere Coris,  
 Quaque gubernaculo potuisset flectere cursus.  
 Nam primum è cœlo Divorum munere puppim  
 In medium cecidisse salum, ventisque secundis  
 Insuetum sulcasse, viris mirantibus, æquor:  
 Inqu e novam gentes artem, atque inventa vocasse,  
 Aut veteres Graii, vel confixere Poëtæ.

Quandoquidem suevere Dii mortalibus artes  
 Bruta per, & casus, ipsosque aperire per usus.

At mirum, quod fama canit de Labrace: summa  
 Egelidum quoniam tenet in cervice lapillum,  
 Atque Hyemem patitur duram, frigusque malignum,

Ut



Ut formosa dies sub lumine risit aprico,  
 In Solem caput obvertit, frigusque tepore  
 Mitigat: at penitus, fuerint si nubila, condit  
 Sese subter humum, Brumamque evitat iniquam,  
 Ut Passer, Soleæque, Scarique, Umbræque fugaces,  
 Mænæque, doctusque pati jejunia Nestis,  
 Et Coraces unâ nigri, & rude vulgus, Aselli:  
 Et quotquot, riget atra quibus sub vertice gemma.  
 At contrâ radios Anguillæ odere corusci  
 Solis, & interdum nimio perire calore:  
 Et pereunt Austro perflatæ: at frigore vitam  
 Dulcè foveat, placido cum sternitur æquore Tethys,  
 Aspirantque leves Zephyri, luduntque loquaci  
 Murmure, tum tenues auras è gurgite perflant:  
 Et super apparent ferventes marmore bullæ.  
 Quo puer indicio deprendes lubrica subter  
 Agmina cœnosis stabulari in fluctibus. At quæ  
 Centipedæ 2 faciunt vastræ, quæ callida Vulpes,  
 Mirâ quidem, sed vera, truci confringere morsu  
 Ut setas potuere, hamumque hausere tenacem,  
 Intestina vomunt imo de viscere, durum  
 Quo ferrum sine cæde spuant: votisque potitæ,  
 Confestim patulis sua faucibus exta resorbent.  
 Idcirco bifidus cudatur longior uncus,  
 Ut fera non uno pereat cruciata dolore:  
 Nec potis hærentem penitus pulsare sagittam.  
 Perge, puer: nec te dementia nobilis Umbræ  
 Fallat: ut attenda primum bibit aure fragorem,  
 Præsentitque virum, aut fatalia conspicit arma,  
 Acutum fugit in scopulos, vel scrupea saxa,  
 Et caput ignavum latebris insana recondit,  
 Aut subter frutices, vel densas abdit in algas:  
 Perfugiumque putat certum tenuisse: nec ultra  
 Piscantis timet arma: cavo quia murice credit  
 Se penitus totam, glaucisque latere sub algis.  
 Qualis ut immanem properare à fronte Leonem

D

Syl.

1 Mugil: sic dictus, quia semper jejuno est ventre. 2 Scolopendræ, sic dictæ à multitudine pedum, quæ verò pedes vocantur, sunt appendices, quibus tanquam remis corpus impellunt, Nostratis Censopiedæ.

Anguilla  
 sibi à Sole  
 Ausivoque  
 cavent, si-  
 gur verò  
 amant.

Centipeda-  
 riæ. Et Vul-  
 pis avi mi-  
 ra, qua ha-  
 muni capu-  
 unt.

Umbræ  
 fuliitæ.  
 Oppianus.

50 HALIEUTICORUM

Sylvestris vidit bos eminus: inter opaca  
 Lustra caput fugiens, vel cæcas occulit umbras.  
 Sic testâ cervicæ, putat celarier omne  
 Corpus, & incursum fulvi vitare Leonis.  
 Interea nemorum rex advolat: inque patentem  
 Irrumpit caudam, laceratque immanior ungue.  
 Sic pariter sola scopulis cervicæ latentem  
 Vel palma, puer, accipies è caute Sciznam.  
 Sic stolidus capitur strutio, sic Phasidis ales,  
 Dum sepes inter caput, atque arbusta reponunt.

*Sudis fo-  
 laria.*

Ast inimica Sudis si retia forte subivit,  
 Undique lethiferum percurrit sedula cassem:  
 Si quâ per maculas via latior, inspicit, & quâ  
 Ruptus hiat cassis: visoque, fugacia dorso  
 Intrudens vi per maculas evadit in æquor,  
 Quam sociæ retrò mox, quâ via facta, sequuntur.  
 Non aliter fati sortem Muræna repellit;

*Item Mu-  
 rana,*

Angustos adigens per textus lubrica terga,  
 Serpentum in morem prolabitur. haud secus atro  
 Ipsa fugam molitur Acus de carcere, cum se  
 Inclusam vidit. Verùm quis nam ille supinus  
 Lina secat radio, fixumque intercipit hamum?  
 Anthias, haud fallor, qui quantum possit acuta,  
 Quæ surgit dorso, spina, non immemor, illam  
 Cum cadit in ferrum, obverso de corpore tollit,  
 Et gladio veluti filum præcidit equinum:  
 Evaditque alacer. Nonnunquam litore in ipso  
 Captivus fertur lacrymis deposcere vitam.  
 Interdum velut infames si forte latrones  
 Prospexit, retro confestim tuta viator  
 In loca contendit fugiens: sic retibus ille  
 Inclusum molitur iter, saltuque frequenti  
 Insultat maculis, & lina tenacia rumpit.

*Et Acus,  
 qua è ma-  
 culis dila-  
 buntur, idè  
 author.*

*Anthias  
 lineam,  
 Et lina  
 rumpit.*

*Plinius.*

Nec te multa, puer, teneat fiducia, lætas  
 Viscere Murænas dum perscrutaris opimo:  
 Maxima nanque illis audacia, sæpè cruentis  
 Piscantes furiosa petit, ceditque sagittis:  
 Eque rati trahit in fluctus, mergitque profundo.  
 Magna quidem, sed magna feram facit ira potentem,  
 Nonnunquam setas densato plurima dente

*Muræna  
 audacia, &  
 vir.*

Dis-

Dissecat, & fraudem reddit piscantis inanem.  
 At licet illa ferox, poterit mitescere cultu,  
 Et cicur humanis palpari molliter ulnis,  
 Nec non & domini voces audire vocantis.  
 Talem Roma virum domitrix, domitrixque ferarum  
 Est olim mirata, suas cui Crassus inaures  
 Dicitur in signes gemma imposuisse superbus.  
 Illa Palatini, quò consulis ore vocata,  
 Ocyor ad nutum veniebat, seque teneri,  
 Palparique manu domini mansueta sinebat.  
 Vsq̄ue aded cicures per lenia sæpè feroces  
 Redduntur, cultuque feræ mitescere discunt.

*Ut cicur  
reddatur.  
Macrobios*

Tales Ionia Congros 1 Epidamnus in unda  
 Dives alit, doctæ surgit quæ sacra Minervæ  
 Insula: piscantes ludunt ubi litore Congris,  
 Grataque sufficiunt alimenta: vicesque rependunt  
 Offici contrâ memores, piscosâ trahentes  
 Innumeros ponti populos ad retia Congri.  
 Ipsi etiam dociles perhibentur 2 E loride lympha,  
 Equè Lupi manibus piscantum sumere prædam.  
 Qualiter obscuris circum Mæotida lucis  
 Terrestres suevere lupi, qui gurgitis alti  
 E Scythicis prædam venantibus ore reposcunt.  
 Retia contrâ ipsi vigiles in litore servant.  
 Si renuant de more Scythæ, tum protinus omne  
 Fœdus amicitie rumpunt, extensaque soli  
 Dyctia dilacerant: lacerisque, umbrosa revisunt  
 Lustra levi cursu, sylvisque abduntur opacis.

*Congri ci-  
cures.*

*Lupi terra-  
suevi circa  
Mæotia ci-  
cures.*

Singula sed cantu dum prosequor, æstus, & ipse  
 Implexus per opaca labor succedere ripis,  
 Et placidum hortatur frigus captare sub umbra,  
 Doris ubi rauco subsultans murmure plaudit,  
 Et nivei plaudunt 3 Delphines, lubrica propter

D 2 Li-

1 *Durazzo.* 2 Flavius Sicilia *Atellaro*, in valle *Naxuna*, *Val di Noto*. 3 Notissimus inter cæte. Italis *Delfino* *Nokris la Fera*. Siculis, & Calabris *TommarIELLO*. Hisp. *el Dolphin de la mar*. Gallis *Dauphin*. *Oye-de mer*, quasi Anser marinus, ab Oceani incolis *Mursovini*, & *Mersovini* quasi sus Maris, sic & Angli, & Armorici *Morbuch*. barbaræ gentes variis nominibus suam significantibus vocant. pinguissimam enim animal est.

Litora lascivo jaſtantes corpora saltu :  
 Et variis circum pingentes Tethya formis.  
 Huc æge, CARDENIDE, mecum descende sub undas  
 Delphinum choreas inter, jaſtusque petulcos:  
 Quandoquidem tanti lufus te Principe digni.  
 Et licet æquoreis paulùm indulgere choreis,  
 Dum Sol jam pronò descendit vertice curru  
 Mitior, & læti surgunt à Vespere venti.  
 Forſan, feſtivo cui saltu, & murmure plaudant,  
 Alter eris curvos inter Delphinas Arion .

Aprici quondam per 1 Cænyos alta phaſelo  
 Errabam, ſocii Licydas, flavuſque Lycormas,  
 Alter ab Euboicis, Siculis è finibus alter  
 Venerat: inſignis cantu, cytharaque Lycormas,  
 At lepida cantu Licydas ſociare choreas .  
 Cùm celeri video properare ſub herbida curſu

*Mirus Del-  
 phinorum  
 luſus, ejuſ-  
 que deſcri-  
 ptio.*

Litora Delphinas, longeque ſonare natatu,  
 Ac totum vitreo conſpergi Nerea rore .  
 Ut puppim propius venerè, examine bino  
 Hinc, inde effuſi, circum ſparguntur, & udos  
 Incipiunt hilares criſpata per æquora ludos .  
 Nunc agiles per ſumma levi nant cærule curſu,  
 Ad numerum bifidis pulſantes marmora caudiſ;  
 Alternis quò pulſa modis ſonet unda canorum,  
 Nunc vero prona ſubeunt cervice Profundum:  
 Equè imò actutum redeuntès gurgite, jaſtu  
 Summa citi repetunt, ipſoque ſub aere pendent.  
 At modo per vitreos molli curvamine campos  
 Incedunt, ſaltuque brevi, ſaliuntque, ruuntque.  
 Sed nunc implexi per mutua Dorida currunt  
 Per gyros varios, obliquatoſque natatus:  
 Inſultantque vadis, innectuntque orbibus orbès:  
 Et labyrinthiſ erroribus æquora pingunt.  
 Corpore mox toto erecti vibrantur, & ipſam  
 Tranſiliunt saltu cymbam, & cervicè reflexa  
 Nos, proh mirus amor! qua poſſunt voce ſalutant :  
 Feſtaque lætitiæ nutu dant ſigna loquaci .  
 Atque iterum è tremula vario diſcrimine cymba  
 Spe-

1 Calabiæ promontorium *Capo della Volpe*, Vide IV. Naut.

Speſtantur longè duci, rurfumque reduci,  
 Inque fugas omnes, & in omnes ire figuras.  
 Ut cum Pieridum ſedes crinitus Apollo  
 Inviſit, toto conſurgunt agmine Muſæ,  
 Carmina feſtivis jungentes læta choreis,  
 Et circumfuſæ Numen, plauſuque coronant:  
 Virgineoſque choros iterant, luduntque per agros.

Tunc ego ſic fuſco Licydæ, flavoque Lycormæ:  
 En quæ formoſi nobis ſpectacula piſces  
 Exhibuere, vago librantes corpora jaſtu,  
 Inque chori ſpeciem tremulis plauſere choreis,  
 Circum cærulea ſpargentes Naxade cymbam.  
 Spondeo, læva ſinant modo Numina, & auctor Apollo,  
 Parthenio dignas aſturum carmine grates.  
 Hæc olim: nunc tempus amica rependere verſu  
 Obſequia: & noſtræ fuerit quodcumque Camœnæ  
 Aſiades meditantur opus: Delphines habebunt  
 Partem opere in noſtro, ſemperque ea gratia facti,  
 Partheniis detur Muſis modo vita, manebit.

Delphinos inter vitreas luſure per undas  
 Diſce, puer, ſacris ſpecies quæ piſcibus, & qui  
 Sint mores, geniufque. Ollis micat ardua cervix,  
 Auguſtumque caput, magnoque nitentia gyro  
 Lumina, per quæ conſurgens, juxtaque cerebrum  
 Epotos pelago reddit cava fiſtula fluctus,  
 Vitaleſque unà revomit, quas ebibit auras.  
 Longior oris hiat ſciſſura, rigentque ſub ipſo  
 Serrati dentes, & acuti: ſimaque roſtra.  
 Mobilis atque brevis lingua eſt, latique pateſcunt  
 Riſtus, at geminæ preſſo curvamine ſpinæ  
 Stant alvo, quibus alta ſecat: ſtat & altera dorſo.  
 Deſinit inque duas falcata noviffima cauda:  
 Qualis dividuo ſinuatur lumine Luna:  
 Eſt ſubcæruleus dorſo color, inque reflexa  
 Cervice, at ſubtus tenera ſublucidus alvo eſt.

Non tantum Euxino, & gelida Meotide Delphi in  
 Labitur: Egæi pariter volat æquora juxta,  
 Parthenioſque i ſinus, Tyrthænaque falſa ſuperbus

*Delphini  
 deſcripti.*

*Quibus in  
 lucis gene.  
 retur.*

D 3 Ob-

1 Vide quæ adnotavimus III. Naut. de Virginio mari, quod & Parthenionem Græcis dictum eſt.

54 HALIEVTICORVM

Obſidet, Ionique vorat vada fervida, & omnem  
Incluſum mediis populatur Nerea terris.  
Quin etiam adverſo magni Delphines in Orbe  
Ethiopum ſpumofa ſecant freta, perque tumentes  
Oceanſi campos late dominantur: & illi

*Oceani Del-  
phines &  
no illor  
Galli ca-  
dunt. Ta-  
chardus.*

Membra ſui ſimiles, queis multo fervidus aſtu  
Inſima perpetuò refluit per viscera ſanguis.  
Hoſ, qui purpuream Auroræ Titanidis oram  
Trans Libyam, Atlantea petunt per cærule Galli,  
Alato ſigunt jaculo, mirabile viſu .

Robuſtus ſpondæ inſiſtit venator, ab alto  
Utque propinquantem celeri Delphina natatu  
Proſpectat, manibus conſeſtim miſſile ferrum  
Intorquet, certoque volanteſ corripit iſtu.  
Interdum tanta jaculum vi fertur, ut omne  
Ærâta corpus tranſiectum cuſpide rumpat,  
At mihi laudandi nunquam, quia prælia factis  
Piſcibus intendunt, & iniquo funere plectunt.  
Idcirco immanes oderunt Numina Thraces,  
Impia quod ſociis ferrent Delphinibus armâ .  
Tu cave, piſcator Tyrrene, laceſſere bello  
Delphinas, dextramque ſacro temerare cruore.  
In reliquos fer bella greges: ſervatus amico  
Fœdere, perpetuò ludat Delphinus in unda .

*Mira Del-  
phini cele-  
ritas.*

Illius & mores jam nunc dicamus. Aquoſos  
Per campos curſu celer, & pernicibus aliſ  
Antevolat piſces, volucresque cœciſſimus omnes.  
Non ſic cornipedes effuſi carcere Iberi  
Addunt ſe in ſpatia, & laxiſ agitantur habeniſ,  
Ut freta corripunt Delphines, & ocyus ipſos  
Alato ſuperant volitanteſ flamine ventoſ.

Præterea, ſtimulante fame, cum præpete piſces  
ſectantur curſu fugienteſ uſque profundum ,

*Ex arcu  
veluti ex-  
cuſſi in  
altum exi-  
liunt. Ariſt.  
& Elianus*

Et cito vitales affectat anhelituſ auras,  
Ex arcu velut excuſſi, ſe ruruſ in altum  
Emitunt, telo velociuſ: inque ſuprema  
Interdum ſeſe jactu carcheſia vibrant,  
Cum prope turrituſ conſurrexere carinaſ .  
Sæpe etiam prædiſ inihant, dum lubrica ponti  
Agmina perfequitur, tanto ruit impete Delphin,

Ut

Ut cœptos nequeat cursus inhibere: sed ipsa  
Sponte sua in scopulos cervice allisus acutos  
Frangitur, aut siccis hæret moriturus arenis.

Insuper his, mirum rex Juppiter indidit illis  
Ingentum; vasti spumantia marmora Nerei  
Instructa legione terunt: ceu magnus aperto  
Incedit campo, paribusque exercitus alis  
Signa movet, bellum jamiam laturus in hostem.  
Imberbes primo pueri stant ordine: retro  
Æquatis spatiis florenti ætate iuventus  
Insequitur, certis sua per discrimina signis,  
Divisa in strictos cuneos, inque agmina quadra.  
In medio veluti lixarum ignobile vulgus,  
Fœminæ properant numerofo examine turmæ.  
Imbelles post inde choros, extrema tenentes  
Agmina, succedunt grandævæ ætate parentes:  
Hique duces nutu incessus moderantur aquosos.  
In dextram nunc castra movent: nunc ire sinistra  
Præcipiant: recto nunc latos ordine campos,  
Nunc verò obliquo malunt proscindere sulco.  
Nunc scopulos, nunc saxa, recurvaque litora vitant.  
Hos cuneo densari, illos in cornua flecti:  
Inque latus alios, alios succedere primam  
In frontem, geminamque jubent hos ire sub alam.  
Omnibus una tamen cura est, salis æquora junctis  
Ordinibus, strictimque acie sulcare quadrata,  
Acrius ut pugnent sociatis agmina signis.  
Non sic ipse Argiva Gerenius agmina Nestor  
Instrueret, Phrygiis dum miscent prælia campis  
Argolica cum pube duces Menelaus, & Ajax:  
Nec 1 Pyrrhus fama notissimus, omnis in arma  
Litus ad Oebalium, Calabrumque Epirus ad oras  
Dum coit, auxilium socio latura Phalanto.

Est & mitus amor prolis, servantque, foventque  
Solicite matres gnatorum corpora, & illos  
Faucibus interdum accipiunt, tutoque reponunt,  
Cum timore est Amias properare in bella, ferasque  
Infestas tenetis Delphinibus, aut citus instat

D 4

Thrax

1 Epiri rex, qui primus acies instruxit, atque inter primos duces ab  
Annibal, positus.

Sæpe ad li-  
sus allidū-  
tur.

Ut quadra-  
ta acie,  
miroque or-  
dine nasit,  
sidi Ausib.

Matrum su-  
ltertia in  
suecudis ca-  
sulis, Op-  
pianus.

Thrax venator ubi, stridetque volatile ferrum.  
 Verùm, proh miram pietatem! fixus ab ære  
 Natorum è geminis si fors fuet alteri: iniquum  
 Tunc miseranda parens venantem pone sequetur;  
 Et mæstismatum lachrymis, precibusque reposcet.  
 Interea leni servatum verbere caudæ  
 Impellit retrò studiosa, arcetque periclo.  
 Ipsi sed matrem sectantur, & ubera circum  
 Diffundunt sese catuli, stipantque frequentes.  
 A fido veluti nunquam pastore bidentes  
 Discedunt, sylvas quanquam, saltusque peragrent.  
 Longævus summa nati pietate parentes,  
 Ut jam majores creverunt corpore, & armis,  
 Solliciti contra curant, densique tuentur,  
 Atque senum victu invigilant, escamque ministrant.  
 Quin etiam tardo quoniam freta cæcula gressu  
 Proscindunt ætate graves, urgere natus  
 Ipsa sui pubes adnifu corporis ardet.

*Juniorum  
 in Parentes  
 pietas. Io-  
 an. Thestet.*

Est quoque sãcta fides thalami: pro conjunge certant  
 Acrius, & vitam posuerunt sæpe volentes.

*Amore in  
 suos fla-  
 grant. Et ut  
 suæantur.*

Nec minor est generis servandi gloria, si quem  
 Forte vident jaculo confossum ad litora duci,  
 Confestim celeres irrumpunt agmine denso,  
 Cumque viris adstant bello certare parati,  
 Ni socium reddant captivum, undisque remittant.  
 Agglomerant & se cymbas, & litora propter,  
 Ac bifida scindunt cauda salis æquor, & ipsos  
 Attollunt fluctus, trepidosque immergere lintres,  
 Equæ viris meritas nituntur fumere pœnas.  
 At si victores socium tenere receptum,  
 Festivum læti redeunt Pœana canentes:  
 Incolumique unà plausu gratantur ovanti.

*Mortem  
 prælagimus  
 Oppianus.*

Quin & divini sortiti syderis auram,  
 Extremum præscire diem perhibentur: in actam  
 Quo sese patriam morituri tempore veçant:  
 Scilicet ut tumulo corpus mandetur avito.  
 Non secus ac Nabathæus, & ut Mæandrius ales  
 Fatorum gnari faciunt divinitus: amnem  
 Hic vitreum propter recinit moriturus: & ille  
 Assyria de fruge pyram sibi ponit odoram.

In-



Interdum, fama est, spumoso è gurgite visos  
 Sublata in siccum deferre cadavera litus.  
 Non etenim patiuntur aquis inhumata marinis  
 Stare diu, prædam vel monstris ire nefandis.  
 Visa & cæruleum circum gens tota feretrum  
 Flebilibus innare modis, & ritè supremum,  
 Magna quidem pietas! casto persolvere honorem.

At non ista tibi debent miranda videri;  
 Nam celeri quondam Delphines Dorida cymba  
 Sulcabant nautæ, Tyrreni nomine dicti.  
 Qui cum trajcerent in Naxia litora Bacchum  
 Argento ditem, gemmisque, cupidine prædæ  
 Corrupti, è viridi cursum deflectere Naxo,  
 Atque aliò taciti puppim torquere parabant.  
 At cum divino sensisset numine fraudem  
 Tyrrenum Liber, socios cantare, fidesque  
 Aurato iussit plestro pulsare canoras.  
 Tunc nautæ mira cantus dulcedine capti,  
 In saltum exiliere, levesque agitare choreas  
 Bacchanti similes cæperunt: lætaque miris  
 Dum jactare modis affectant corpora, ponto  
 Immemores sese mittunt: sed Liber ovantes  
 Delphinas dedit esse, marique iunare profundo,  
 Et liquidos celebrare choros, lususque per undas.  
 At verò ut facti semper monumenta manerent,  
 Unum cæruleis è fluctibus intulit astris,  
 Et magni <sup>1</sup> volucrem Jovis inter, Equumque locavit.

Idcirco nostro quoniam de sanguine creti  
 Ingenuos ardent pueros Delphines, & udis  
 Accipiunt humeris, & per vada vitrea portant,  
 Egregio fuit ore puer, sed paupere tecto  
 Bajano è Licyda lætus, & Lucrinide Nympha:  
 Hic patrij quondam Lucretini marmora juxta  
 Dum ludit, nitidasque legit de gurgite restas:  
 Fortè Dicarchea veniens Delphinus ab ora  
 Formosum vultu puerum conspexit ovanti,  
 Atque coloratas versanrem litore conchas,

Mortuus se-  
 peliunt.  
 Alianus,

Amici ho-  
 minum. &  
 pueros &  
 manè.

Ut

<sup>1</sup> Est enim syderius Delphin juxta lætæum orbem firmis inter Aquila-  
 lam, & Pegasusum.

§8 HALIEUTICORUM

Ut vidit, nimio pueri correptus amore est.  
 Ergo cæruleis blandiri cepit amanti  
 Saltibus, & tacitis testari nutibus ignem.  
 At puer infuetum non dedignatus amantem,  
 Edomitam saxo Cererem, quam forte ferebat,  
 Delphino tradit, sædusque hoc munere sancit.  
 Blandus & ore vocans, Simonem nomine dicit.  
 Nomine Delphinus quo cùm foret inde vocatus,  
 Ilicet Oceano veniebat ab usque profundo.  
 Ausus & hinc puer est niveo considere dorso  
 Delphini, & latè tremulas equitare per undas.  
 Non invitus onus dorso accipiebat amicum,  
 (Esse tamen quis onus dilectum dicat amanti?)  
 Et tendebat iter spumosa per æquora Delphin,  
 Quà frænum insidens humeris auriga dedisser.  
 Sic puerum Bajis vectabat ad usque Dicarchum:  
 Palladium puer in ludum quò sæpè solebat  
 Ire, rubescens cum jam temone jugales  
 Egerat elato Titan, cæloque ruebat.  
 Inde Dicarchæo, currus cum flexerat aureos,  
 Acceptum Bajas de litore vector agebat.  
 Qualiter in Taurum conversus Juppiter ibat  
 Parthenios ultrà fluctus, dorsoque ferebat  
 Europam lætus, Diæaque regna petebat.  
 Sic & Thelemachum genus armipotentis Ulyssæi  
 Delphinus Fato eripuit, tergoque receptum  
 E pelago patriis servatum reddidit oris:  
 Nam propè Dulichias dum ludit parvulus undas,  
 Quà rapidum mare vorticibus, ventoque fremebat,  
 Sublapsus puer, & refluxo citò mersus in alto est:  
 Quique dolo fuerat vectorum ejectus in æquor,  
 Tænarum invexit Delphinus Ariona, cantu  
 Accitus vitreis è fluctibus: inque choreas  
 Dum saltu Oceani gens lubrica, tergora Delphin  
 Supponit blandè numeris, nervoque canenti.  
 Mira Dicarchæo sed de Delphine feruntur:  
 Scilicet in dorsum puer ut saltabat, acutam  
 Vagina veluti spinam condebat, amicum  
 Ne forte indigno lacerasset vulnere corpus.  
 Italia late ex omni, dominaque ruebant

*Ulyssæi filium Delphinus servavit. Plutarchus.*

*Item Arionem. Herodotus.*

Ut-

Urbe viri, & matrum primæ, mixtimque juvenus  
 Litus in Euboicum, placidas Delphina per undas  
 Visuri puerum v&ctantem; ipsumque equitantem,  
 Qua vellet mare per latum dare lora natanti.  
 Mira quidem, fateor, rerum miracula canto:  
 At si vera, Deos, ipsumque obtestor Amorem.

At miser infueto periiit Delphinus ab igne:  
 Nanque puer Cœli 1 vicio correptus, in ipso  
 Flore juventutis Fato sublatus acerbo est.  
 Illum omnes Prochytaque Deæ, Inarimæque puellæ  
 Fleverunt, actæque Deæ, pelagique puellæ,  
 Nefisque, Euphræque, & 2 Olympia Mergilline.  
 Ut tempestivo de caudice cum rutilus flos  
 Erupit, subitòque gelu contactus acuto  
 Decolor expallet foliis moriturus, & illum  
 Flent mæstæ Dryades, flent numina fontis amici  
 Næsades, raucoque piger flet murmure rivus:  
 Quæque rigens Cœli florem demessuit auræ.  
 At verò in litus consueto tempore Delphin  
 Ut venit, puerumque diu expectasset: ubi illum  
 Nusquam apparentem circumspicit, ictus ab acri  
 Igne est, & toto confestim expalluit ore.  
 Utque sibi Fatis ereptum sensit amantem,  
 Protinus in lacrymas, & cæruleos ululatus  
 Solvitur, & mæstis latè streta quæstibus implet.  
 Hinc lucis perterritus aquis egressus in actam  
 Insilit infelix, animamque in litore ponit.  
 Qualis arundineis Alcædo mæsta sub umbris  
 Amissi flet Fata viri; quem sæva procella  
 Eripuit, raptumque mari dispersit: at illa  
 Cum cava nequicquam pulsasset litora quæstu,  
 Dat sese in fluctus moritura, virumque requirit.

*Delphianus  
 puero mor-  
 tuo gra mo-  
 rore occum-  
 bit.*

At

1 Sunt qui narrent puerum à Delphino casu spina transverberatum.  
 Oppianus verò à aliam de Lesbio puero texit historiam: aliam item  
 Alianus de Iaseni puero refert, quam tamen aliter Egefidemus  
 apud Plinium nartrat. 2 Ab ora Olympia (*Chyria*) de qua consulo  
 Piscaroria nostra. Ech. 1.

60 HALIEVTICORVM

At nos æquoreo è ludo, plausuque canoro,  
Atque præoptata scopuli pendentis ab umbra,  
Spumosis tractanda vocant fera prælia campis.

F I N I S.







F. Salmère Inv.

H. Vintoné Sc.



# HALIEUTICORUM

## LIBER III.

**S** Ed jam bella vadis agitata, astusque natantum  
 Sunt dicenda: mihi vos ò quæcunque beati  
 Aurea Crateris sulcatis cærule, Nymphæ,  
 Ferte animos, placidæque auris spirate secundis,  
 Vos & præsentès, Acheloides, ore favete,  
 Et vos Actiades, sacrumque intendite cantum,  
 Si patriæ Telluris amor, si gloria tangit,  
 Si vestros, Divæ, pro more fovetis alumnos.

Ignipotens, cui cuncta, Deus, sociare potenti  
 Fædere permissum, pacemque inducere Mundo;  
 Ille etiam fera bella movet, nexuque resolvit.  
 Idem pacis Amor, bellique asperrimus author:  
 Quaque sacra jungit vi pectora, dividit illa.  
 Nonne vides, mixtimque homines, volucresque feraque  
 Pro natis, victuque, & pulchræ lucis amore,  
 Armaque præcepta pro conjugè sæpe ciere?  
 Non secus & pisces Fato versantur eodem.  
 Ille studens victu, vitæque, Penatibus alter,  
 Hic dulci pro luce, suo hic pro pignore, & ille  
 Pro thalami nexu, charæque cupidine prolis,  
 Una omnes sese telis, astuque laceffunt:  
 Inque neces adigunt: quæ jam feralia bella  
 Ordiant. Undosum primus descendit in æquor  
 Invisus Polypo Dentex, qui robore major  
 Bellum fert Polypo, & tetrorem dentibus infert,  
 Ille laceffitus cursu se proripit, & se  
 Occulit in latebris scopulorum, & caute reposita.  
 At vafer in solitos tum Dentex confugit astus:

*Amor pa-  
 cis idem, &  
 belli au-  
 thor.*

*Pugna Di-  
 ticis cum  
 Polypo. Al-  
 bertus.*

Se

## 62 HALIEVTICORVM

Se similem casso simulat, fluitatque per undas  
 Incertam: Polypus spoliatum lumine credit,  
 Educiturque specu, prædam comprehendere, cirros.  
 Illicet ore manum tenet ille, & victor ab udo  
 Educitur saxo captum: ceu callida vulpes  
 Decipit ignaras, Fatum mentita, volucres.

*Muræna cū  
 eodem mi.  
 vabilis la-  
 ßa. Oppia-  
 nus.*

Non exumna manet Polypum minor, horrida quædo  
 Bella mover Muræna. Cavo de pumice in auras  
 Cùm prodit Polypus, escamque inquirir amicam,  
 Tunc tacito, celerique volat Muræna flagello,  
 Læta super præda, bellumque agitare parata.  
 Ille sed ut propius venientem conspicit hostem,  
 Mandat terga fugæ: sed tardo marmora cursu  
 Sulcantem lapsu insequitur Muræna citato:  
 Cogit & invitum morsu pugnare feroci.  
 Ille coactus init certamina, longa que jactat  
 Brachia multiplici gyro, voluitque, plicatque  
 • Hæc illac, si fortè trucem depellere pestem  
 Detur, & elapsum tuto se reddere saxo.  
 Incassum tamen infelix: nam lubrica serpens  
 Membra per, & chelas Muræna relabitur, ille  
 Contrà nunc caudam, nunc tergora, duraque prendit  
 Colla, per atque ipsum nunc os irrupit apertum,  
 Ac veluti multa defessis membra palæstra,  
 Vix luctatores undantia brachia jactant:  
 Non aliter Polypus chelas defessus inanes  
 Vix movet: & victus tandem se subiicit hosti.  
 Continuo prædam radiis discindit acutis  
 Muræna, & totum dispergit gurgite corpus.

*Muræna in  
 feliciter pu-  
 gnat cum  
 Locusta. Idē  
 Author.*

Non secus in vitreo debellant æquore Congri  
 Ignavas Polyporum acies, & funere plectunt.  
 At non successu pugnat Muræna secundo,  
 Crustaræ intendunt olli cùm bella Locustæ.  
 Cervicem de caute trucem ferus Astacus udâ  
 Exerit, & geminis irritat cornibus hostem.  
 Hæc odio irritata ruit, morsuque feroci  
 Impetit: at duro collisi cortice dentes  
 Et rigido veluti saxo, ferroque retusi  
 Exiliunt, hebetesque magis redduntur ab icu.  
 Colla sed illa suis apprehendit mollia chelis,

For-



Forcipibus velut æratis, stringitque, secatque,  
 Quo tandem effuso reddat cum sanguine vitam.  
 Infelix sic ipse perit pugnante Locusta,  
 Canger, & astrictis invisit faucibus Orcum.

Attamen id mirum est, armatam forcipe dura,  
 Et dura pariter resta, celeremque Locustam  
 Osmylus 1 expugnat victor: licet ille per undas  
 Tardus eat, teneroque incingat corpus amictu.  
 Muscosa scopuli Polypus in sede morantem  
 Desuper invadit tacitus, pronusque Locustæ  
 Incumbit dorso, circumque tenacia collum  
 Vincla jacet subitus, faucesque astringit hiulcas:  
 Atque aditum vitæ simul occupat: illa dolore  
 Actutum furit ista, manusque, & corpora quassat:  
 Et roseam in scopulos allidit plurima caudam.  
 Nunc tandem defessa silet, vix palpitat: & jam  
 Exanimata jacet. tamen ille tenacius arctat  
 Vincula, candentesque artus, & mollia suctu  
 Guttatim membra educit: velut ore tenaci  
 Lac pleno pueri nutricis ab ubere sugunt.  
 Indidit idcirco magnum Natura timorem:  
 Et viso tantum Polypo periisse Locustam  
 Nonnunquam, fama est. Pinnis sed callidus astu  
 Dissimiles struit insidias, cum sæva latratus  
 Accendit, stimulumque fames irritat edendi.  
 Næque ubi Perna fores referavit, ut æthetis auram  
 Ebibat, & dulcem 2 villis sibi colligat escam;  
 Et custos ignarus abest, tunc ilicet ille  
 Apprensus chelis saxum demittit hiantem  
 Desuper in Pinnam: gremio quo Perna recepto,  
 Haud potis extemplo patulas occludere valvas.  
 Advolat ille, citusque fores irrumpit apertas:  
 Ignaramque doli Pinnam, & nil tale timentem  
 Expoliat, prædaque rapax lætatur opima.  
 Quid non dira fames, hominesque docebit egestas,  
 Si ingenium dedit & brutis, artemque nocendi?

Non

*Polypus Lo-*  
*custiam ex-*  
*pugnat. Pla-*  
*tarchus.*

*Ingens Lo-*  
*custæ de Po-*  
*lypo timor.*

*Polypus as-*  
*tus, quo*  
*Pinnas de-*  
*populatur.*  
*Oppianus.*

1 Polypus, sic dictus ab odore: vocatur etiam Bolitæna, & Ozæna.

2 Villis enim purgamenta maris, fæcesque, quibus nutritur, han-  
 rit. hi verò villi sunt, ex quibus byssum Tarentini texunt: laudatissi-  
 mz sunt Chirothecæ, & velamina, quibus se puellæ amiciunt-

Non secus insidias molitur, callidus arce  
 Interdum ut miles potiatur. ubi rediens Sol  
 Luce aperit Cælum, & montes tegit aureus altos,  
 Claufaque cum primùm panduntur mœnia, onustos  
 Præmittit palea currus, conditque sub illa  
 Armatum ferro peditem: vix limina currus  
 Tardigradis tenuere totis, auriga repente  
 Siftit equos, casum mentitus: quique latebant  
 Distrito mucrone ruunt, & murmure facto  
 Dant fociis signum: mora nulla è valle reposita  
 Protinus occurrunt illi, portasque patentes,  
 Quas interposito subiti concludere curru,  
 Haud cives potuerunt, tenent, denfaque caterva  
 Irrumpunt, captaque dolo dominantur in arce.  
 Ergo ne ignaræ paterentur talia Pinnæ,  
 Custodem Natura dedit, qui pervigil ipfas  
 Excubat ante fores: & cùm properare natando  
 Aspectat Polypum Cancer (qui cautus opimi  
 Visceris, & byssi custos manet, inque corusca  
 Adnatus Perna est) dat signum: comprimit illa  
 Continuo testas, astusque eludit inanes.

*Pinna cu-  
 fos Squilla*

*Muræna cū  
 Congro an-  
 cepti pugna.  
 Perotus.*

*Mugilem  
 superat lu-  
 pus. Perot-  
 us,*

*At neci à  
 Squillis de-  
 ditur. Al-  
 lianus.*

Hac etiam Polypus depascitur Ostrea fraude:  
 Callidus & Cancer. Pugnant sed viribus æquis  
 Murænz, Congrique. Dicharchi ad litora quondam  
 Murænam memini Congro vidisse duello  
 Certantem Marte ancipiti: sed lubrica tandem,  
 Non impunè tamen Congrum vertisse ferocem  
 Terga cruentatum plagis, nanque ille vicissim  
 Murænz rabido caudam præciderat ore.

Seque olim caudam Cephalo vidisse Lycoram  
 Ore Lupum rapido secuisse, virentia propter  
 Litora cùm mediis nassam demitteret undis,  
 Jam memini dixisse, mihi dum bella natantum,  
 Et morem varium, & versutos diceret astus,  
 Attamen infelix cæso de Mugile victor  
 Exili Lupus à Squilla nece plectitur atra.

Scilicet imbelli nonnunquam Fata potentes  
 Dejecere manu, & collum fregere superbum.  
 Ergo ubi inexploro ruit ore, cupidine prædæ  
 Incensus, Squillasque petit, quas ille voraci

Ven-

Ventre, fameque inhiat, comprehensæ protinus illæ,  
 Quod capiti assurgit rostrum, ceu serra, recuruum  
 Insectunt, gyroque leves saluuntque, ruuntque  
 In pugnas alacri nisu. mox viribus haustas  
 Comprendit dulci gavisus munere Labrax.  
 Squilla levi primùm prælato in gutture saltu  
 Subsilit: hinc cornu venantem figit acuto:  
 Victaque victorem transverberat. ille voracis  
 Ingluuiem ventris saturat: nec vulnera quidquam  
 Sentit hians: prædæ tanta est innata cupido.  
 Sed cum diffuso tumuerunt sanguine fauces,  
 Et creber stimulo miserum dolor urit acerbo,  
 Cum præda occumbit fato venator eodem.

Sint longo quanquam Ziphia mucrone potentes,  
 Balænam trepidi metuunt, nec cominus audent  
 Ire hostem contra, sortemque expendere belli:  
 Sed tantum vitare dolo conantur: in imis  
 Obversa gladium defigunt cuspe arenis:  
 Immotique manent: nec quam sint ense valentes  
 Prospiciunt, stolidasque tenet dementia mentes.  
 Usque adeò nihil æra, sonoraque fulmina profunt:  
 Ni fortes pariterque animi, pectusque virile  
 Accedant. tenui caligans lumine truncos  
 Hos rata cæruleos Balæna impunè relinquit.  
 At multa in Gladios accensæ 1 Mænides ira  
 Approperant, teneram morsu discindere pellem.  
 Et qui monstra maris vitaverat horrida, Cete,  
 Infelix perit, exiguo data victima pisci.

Attamen audaces velocibus aspera Thynniss  
 Bella movent, telisque petunt fulgentibus hostes,  
 Ausonia relegunt dum litora, perque sonantes  
 Trinacriæ fluctus, Sardoæque cærulea currunt,  
 Idcirco, mentem quando Natura sagacem  
 Indidit, ordinibus densis, acieque quadrata  
 Spumantem celeres Orcyni Nerea findunt.  
 Sic & solivagum spectant si gurgite ab alto  
 In pugnam rigida Gladium properare securi,

E

Con-

*Quo asu  
 Ziphia Ba-  
 lænam vi-  
 tent. A lia-  
 nus.*

*Et ut à Mæ-  
 nis cor-  
 queantur.*

*Audaces  
 in Thynniss  
 arma me-  
 tent.*

1 Eadem quæ Mænæ, quibus similes sunt Membrades, quas etiam Galli vocant *Celerius* nobis haud dubio sunt *Spigari* sec. genctis.

Consiſſi numero venientem cominus hostem  
 Excipiunt: illi fociis in bella vocatis,  
 Caſtra movent: pavidi contra dant terga, ruuntque  
 In diverſa, vagique natant toto æquore Thynni.  
 Inſtat terga premens Gladiorum exercitus omnīs,  
 Euxinumque fugat reſecutus ad uſque profundum.  
 Non ſecus è vaſto Tritonas 1 Atlante fugaces  
 In clauſam Ziphiz victores Dorida pellunt  
 Per Calpes, Abylæque fretum: diverſa ruentes  
 In loca diffugiunt illi: pars litus Iberum  
 Una tenet læva, Libyam premit altera dextra.  
 Incandent vada pulſa, furit clangoribus aer  
 Concuffus, ſcopulique, & circum litora plangunt.

Non minus in viſi Thynnis Delphines, & omnīs  
 Vis violenta Canum, Galeique horrendaque Cete:

*Delphini, et  
 Thynni pugna.*  
 Hos contra veniunt animoſius, & fera Thynni  
 Miſcent bella, odiis que acuunt feruentibus iram.  
 Verùm Pelamydes perdunt impunè feroces  
 Delphini, & toto fugientes æquore turbant.

*Delphini in  
 Pelamydes,  
 qui fugientes  
 in litus  
 exiliunt.*  
 Vidi ego Scyllæ non longè à rupe, canoro  
 Flumine quæ ſalfas descendit 2 Cænys ad undas,  
 Trinacrium contra litus, viridemque Pelorum,  
 Plurima Pelamydum velocibus agmina pinnis  
 Delphinas fugere, & Delphines præpete curſu  
 Ponè ſequitur toto fervebat gurgite Nereus.  
 At quoniam pelago refluente, æſtuque feruntur,  
 In procurva ruunt inviti litora, ubi omnis  
 Stat manus agreſtum raptis ſtipata ſub armis,  
 Quos magno puer accivit clamore, propinques  
 Ut piſces vidit, latè que albefcere pontum.  
 Haud mora, vibrantur conti, curvique tridentes  
 Fuſcinaque, & celeres unci: ſitque illicet ingens  
 Pelamydum cædes, fuſoque cruore rubefcunt  
 Spumantes latè fluſtus. proh caſus! & illi  
 Unà infelices pereunt, ubi litore amico  
 Perſugium vitæ certum, pacemque petebant.  
 Uſque adedò loca nulla patent ſecura ſaluti,

Cum

---

1 Ferunt ingentem Gladiorum copiam eſſe in Atlantico Oceano, ex quo nonnunquam per Herculeum fretum irrumpunt. 2 Calabria promontorium contra Pelorù, la coda della Volpe. Vide IV. Nau.

Cum miseros Sors atra premit, urgentque potentes.  
Interdum tanto exiliunt è marmore saltu,  
Ut sæpè in sicca manibus sapientur arena.  
Et binos dextra tum me prendisse recordor,  
Urbe procul rurans liberrimus otia capti.

Non secus *Egæis* in fluctibus 1 *Aulida* contra  
Argolici prædam venantur, ut aera Vesper  
Temperat, & rores jam colligit humida Luna.  
Armati telis, & multa lampade curvas  
Stipantur juxtà ripas: Delphines ab alto  
Pelamydas, pavidosque fugant ad litora *Thynnos*.  
Attonici hinc face, Delphinis & agentibus illinc,  
Spontè ruunt in terram, invisaque saxa *Cybiæ*,  
Inque manus piscantum, & vitam in litore ponunt.  
Non secus, ac timidi lepores, damæque fugaces  
In prædam cessere, truces cùm terga *Molossi*  
Hinc sua dente premunt, illinc clamore secundo  
Summa catervatim venantes sydera pulsant.  
Confestim citò piscantes hastilia torquent,  
Atque neci dedunt. cæsi mox piscis opimam  
Dant partem sociis Delphinibus, æquore summo  
Qui prædam intenti expectant mercede laboris.  
Ni faciant, illi disrupto fœdere nunquam  
Amplius *Eubææ* cogent ad litora pisces.

At non Delphinis, quanquam per salsa superbi  
Æquora se dominos jactent, regesque natantum,  
Ceu Leo per saltus sylvarum, umbrosa que regna,  
Exiguus labor est, Amizæ cum fervida fortes  
Bella ferunt, campis & congregiuntur apertis.  
Ergo ubi conspiciunt lato Delphina profundo  
Agminibus procul è sociis, castrisque vagantem,  
Dant signum: subitæ veniunt ad signa cohortes,  
Stipaturque atrox *Amiarum* exercitus. & ceu  
Arduus in turrim densa testudine miles  
Irrumpit, glandesque jacet, & missile fulmen.  
Non aliter contra Delphinum examine multo  
Audaces currunt *Amizæ*, pugnantque feroces.

*Fugiant &  
Thynni, &  
à piscanti-  
bus facibus  
serviti ca-  
piuntur.  
Oppianus.*

*Mira, atque  
acerrima  
Delphini et  
Amiarum  
luffa, item  
austhor.*

E 2 Priu-

1 Boeotiz Vrbs in Euripo sita contra Chalcidem (*Negroponte*), quæ nota interit.

## 68 HALIEVTICORVM

Principio Delphin interritus excipit agmen,  
 Nec numerum quidquam curat: ceditque, fugatque  
 Nunc hanc, nunc illam, sed cum videt undique circum  
 Denfari hostiles acies, cingique corona,  
 Seque unum innumeras contra pugnare catervas,  
 Segnitiam pellit de pectore, fitque periclo  
 Fortior: intendit vires, & duplicat iram.  
 Ast Amiz circum glomerata morsibus illum  
 Discerpunt; durisque affixa dentibus hærent.  
 Hæc caput arreptum tenet acrior, illa tenaci  
 Stat rictu defixa genis: vorat aspera lumbos  
 Altera; & hæc pinnis superincubat: illa bisulcam  
 Apprendit caudam violenta, fugamque retardat:  
 Hæc subtus ventrem depascitur: illa superne  
 Molle vorat dorsum, fusoque in sanguine gaudet:  
 Eque jubis pendent istæ, cervicibus illæ:  
 Ira omnes, rabieque, atrisque furoribus actæ.  
 Qualiter, ingenti procerum spectante theatro,  
 Emissi in taurum pugnaces agmine denso  
 Ore canes ineunt certamina: fervidus ille  
 Aurem dente petit, prensamque tenacius ipsa  
 Forcipe multus habet: saltu velocior alter  
 Subilit in collum, mediusque in cornua sidit:  
 Alter & in dorso subsedit, & ore cruentat:  
 Subter & hic rabido lacerat palearia morfu.  
 Fervet pugna: strepitque favens pleno ore theatrum.  
 Multiplici in ærea discissus vulnere Delphin,  
 Efflat anhelus aquam vehementius, & vada turbat  
 Ore fremens, fibrisque furens exæstuat imis.  
 Nunc infanda gemens salit æquore, nunc freta rursus  
 Ima petit: medioque ruens cœu gurgite turbo  
 Voluitur, ingentemque ciet clangore procellam.  
 Subilit interdum è spuma, si forte feroces  
 Excutiat cervice feras, & liber in altum  
 Antevollet, sociisque fuga se reddat. at illæ  
 Ore tenent stricto, nec vi captiva remittunt  
 Membra, venenatis at dentibus acrius hærent.  
 Et subeunt, subeunte fretum, rursusque sub auras  
 Dum resilit, simul exiliant: mirabile visu,  
 Desuper apparet monstrum de marmore tolli:

Sci-

Scilicet è niveo Delphino, Amisq̄ue creatum.  
 Difficiles aded̄ adnexæ, rictuque tenaci.  
 Et ceû multa cutem si fortè apprehendit Hirudo,  
 Ægris impurum membris haustura cruorem,  
 Non nisi cum fuerit toto exaturata relinquit.  
 Haud secus immanes Amiæ, ni parte revulsa,  
 Quam prius apprensam morsu tenuere positæ,  
 Demittent captum. qui mox certamine tanto  
 Defessus, primùm ut vires, animumque recepit,  
 Insana incensus rabie, ceû ventus in hostem  
 Irruit, horrendamque ciet ferus undique stragem.  
 Illæ diffugiunt trepidæ: premit iste fugaces:  
 Et meritas Amiis pœnas, cædemque reponit.  
 Cuncta vorat, satiatque iram, ventremque saginat.

*Delphini  
 victoria.*

Sed me victoris vocat altera palma: Feroci  
 Est cum Niliaco Crocodilo nobile bellum.  
 Delphino, & cæso surgit victoria major.  
 Est Delphin Nili regi infestissimus hostis:  
 Hostis ut hic hominum durissimus. Horrida visu  
 Bellua, quâ Libycos non turpior altera campos:  
 Vasta nec Ægypti per stagna voracior errat.  
 Nam campos, & stagna ferox terroribus implet.  
 Olli vis ingens, & non superabile robur:  
 Nec minor est animis audacia, lataque duris  
 Terga rigent squamis, est & durissima cervix,  
 At totum latè ferro impenetrabile corpus.  
 Unguibus incurvis, & dente armatur adunco,  
 Horrendamque movet caudam, rictuque tremendo  
 Infandam miseris stragem, cædemque minatur.  
 Hanc tamen ingentes animos, & pectora versans  
 Non prædæ incensus studio, sed laudis amore,  
 Aggreditur Nilo Delphin generosus in ipso:  
 Sit pronò invalidus licet ore, levique recinctus  
 Thorace, & levibus pariter circumdatus armis.  
 Ergo maris magni fluctus egressus, in altum  
 Irrumpit Nilum, conspectoque eminus hoste,  
 Ingenti fertur cursu, ceû fulmen: & olli  
 Ut propior, sese pronum submittit, aquosi  
 Gurgitis ima petens, faucesque evitat hiantes:  
 Atque fugam simulans primo se subtrahit ictu.

*Eiusdè cum  
 Crocodilo  
 pugna, &  
 ni illum ca-  
 dat.*

Perfa velut, patriis cum jam Romanus in armis  
 Acer ad Euphratem mover agmina, se citus abdit  
 Lustra inter fugiens. latus hinc petie inde reversus,  
 Incautumque ferit jaculis, latèque cruentat.  
 Ergo imo. rediens fundo confurgit, & alvum  
 Invehitur contra veniens inopinatus: acutamque  
 Erigit è tergo spinam, qua mollia ventris  
 Protinus incidit. reliquo nam corpore monstrum  
 Ipse vel incassum pulsaret acinace Maurus,  
 Aut immortalis facta ex adamante securi.  
 Vertitur extemplo præciso bellua ventre,  
 Horrendum stridens, refugitque in vorticis undam.  
 At Delphin medio gestit sub flumine victor.  
 Mox redit in portum festivus. At æquor apertum  
 Qui timidi contra fugiunt, cæcisque sub antris  
 Se se abdunt? signata pedum vestigia nosco.  
 Nec fallor: turpes dant terga ignavia Phocæ,  
 Cæruleus quibus est 1 Aries inimicus: anhelo  
 Aeris immensi molem qui sorbet hiatu.  
 Quæ mox lethiferis emissâ è naribus aura  
 Ocyus ingenti flatu, velut acta sagitta  
 E nervo contorta, volat; quo bellua telo  
 Imbelles cædit Vitulos, atque aëre perdit.  
 Aere quo vitam mortales vivimus omnes:  
 Fitque eadem lethi, fuerat quæ causa salutis.  
 Nanque ubi conspecto fugere è fluctibus hostis,  
 Inque latebroso se celavere recessu  
 Imbelles vituli, tunc retrò impundè sequutus  
 Instat, terga premens Aries, juxtâque repostum  
 Stat specus, hostis ubi latet abditus, atque tenet se.  
 Hic intermedium bibit auribus aëra longis:  
 Aspiratque iterum, & Phocas transverberat aura.  
 Icti fulmineo Nepodes velut ære, fugaces  
 De cito propripiunt, & inania spicula vitant.  
 Antra sed egressi, dulcem sub lumine vitam  
 Deponunt miseri: nam dentibus advolat uncis  
 Continuo, tenerosque Aries petis, & vorat artus.

At

1 Qui, qualisque sit non liquidò constat: Bellonius ex Afellorum  
 genere facit: alij monstrum inter cete latuunt. historiam verò Alia-  
 nus narrat.



At non se, magnæ quanquam, tutantur ab Orcis  
 Balænz: miseris spes una evadere cursu,  
 Atque profunda maris loca tuta inquirere, quæ se  
 Vertere, & immenso possint defendere ponto.  
 At contra rigidis occurrunt dentibus Orcæ:  
 Seque fugæ celeri certant opponere saltu,  
 Inque vada impellunt, syrtesque, & sicubi densæ,  
 Angustæque rigent cautes: hic pondere segnes,  
 Invalidasque petunt alacres, & cæde cruentant:  
 Seminecesque vitis prædam sub litore linquunt.  
 Interdum infanz catulos ante ora parentum  
 Dilaniant, rabidove recidunt gutture mammæ.  
 Interea velut irato sibi prælia pōnto  
 Spectantur: nullis & agentibus æquora ventis,  
 Tot violenti ictus, & creber anhelitus undas  
 Evolvunt, quot nullæ unquam movere procellæ.

Sed jam terribili prorumpit fronte Zygzna,  
 Spumosaque acies fera devorat ore bifulco.  
 Ah! pestem miseris Di piscatoribus illam,  
 Si qua, precor, pietas, defendite: nanque per omnes  
 Bacchatur fera sæva, nihilque impunè relinquit.  
 Ac velut iratus prætendit cornua taurus,  
 Vi quibus ingenti pollet, cædemque minatur  
 Sic obnixa furit biuga cervice Zygzna.

Est & fluminea Glanis bellator in unda  
 Maximus, inque omnes fert horrida bella natantes:  
 Serratoque ipso piscantes, dente laceffit.  
 Non secus in pisces furit audacissimus omnes  
 Lucius, & Pagrum 1 Brinthus necat: inque voraces  
 Bacchantur Mulli Lepores, & funere plecunt.  
 Nobilis Antæcum, rostroque Acipenser acuto  
 Germanum insequitur, totoque, expellit ab istro.  
 Et Zigam celeri cursu insectatur in 2 Albi:  
 Antevolat fugiens tamen ille citissimus alis.  
 Czrulei Anguillis intendunt prælia Corvi,  
 Atque leves Lutra, & stellatis Ardea pinnis.

Lubrica veloces rostro Lampetra bifulco

*Orcæ Balæ-  
nam vi su-  
perat.*

*Zygzna fu-  
ror, & vis.*

*Et Glani-  
dis.*

*Lampetra  
Salmones  
venat.*

E 4

Sal-

1 Qui & Brenthus, è Mergorum genere: illius autem in Pagrum  
 odium Philes tradit. 2 Germaniæ fluvius Elba.

*Oestros &  
Hirudo per  
dit.*

Salmones impunè secat, cum, Doride falsa,  
In dulces fluviorum undas rediere, relicta.  
Parvula quin etiam Salmones vexat Hirudo,  
Dum fluvios Ætate vagi fervente recurrunt.  
Hæc nimio, ut perhibent, calefacto sanguine motu,  
In penitis malefana lues progignitur extis.  
Interdum totas qua depascente medullas,  
Magna dolent, stimulisque intus mordacibus acti  
Stagna per, & fluvios errant sine lege furentes:  
Et quatunt sese pinnis: saliantque, ruuntque,  
Eructantque undas, spumasque in gurgite voluunt.  
Seque petunt iterum, & medio bacchantur in alveo,  
Quò tandem totis exhausti viribus omnes  
Dispereunt, cassique appellant lumine ripas.

*Oestros Zi-  
phias, Thyn-  
nos, & Del-  
phinos exa-  
gitat.*

Est etiam ille malus Ziphias pugnacibus hostis,  
Quique leves Thynnos depascitur, inque feroces  
Delphinas grassatur, 1 Asilum nomine dicunt  
Romani, veteres Oestron dixere Pelasgi.  
Qui licet exiguo sit corpore, mollis & instar  
Crescat Araneoli, stimulo tamen horrida magnis  
Piscibus arma ciet, vexatque impunè sub alis.  
Inque necem vel spontè trahit violentus ad unum.  
Dum torrens Canis exoritur (Canis acrior ortu  
Pestis acerba furit, spargitque immane venenum)  
Thynnida 2 cum Gladiis, & cum Delphine laceffit:  
Inque larus spina subter quæ cærulea pellis  
Mollior, intorquet furibundo ex ore sagittam:  
Infixaque hæret lateri crudelis Asilus:  
Ac teneros artus exugit ab usque medullis.  
Ast illi jaculis, & duris mortibus isti,  
Exacuunt iras, rabieque armantur in hostes.  
Nam frustra mucrone petent, vel dentibus Oestron;  
Ergo acti furii, irritatique dolore  
Cæruleas quatunt alas, & corpora jactant:  
Turbatasque movent undas, latèque per æquor

Bac-

1 Vermiculus hic est, inquit Arist. qui historiam narrat, effigie scorpionis, magnitudine aranei, qui tanto illos infestat dolore, ut sæpe se se interimant. 2 Thynnus; accipitur tamen pro Thynno femina, ut habet Athenæus.

Bacchantur, tanto possint si fortè tumultu  
 Affixam stimulo lateri depellere pestem.  
 Incassum tamen ira: latus tenet asper Asilus,  
 Et tantum radiis torquet mordacibus artus,  
 Ut perdant sese miseri, impulsique dolore  
 Ad scopulos caput allidant, vel præpete jactu  
 In molle insiliunt perituri litus, ubi ipsa  
 Præstat cum vita citius finite dolorem.  
 Non secus ac Silari ripas, & flumina circum  
 Oestros agit armenta, & acutis ictibus instat  
 Acrius atra lues: totis exterrita sylvæ  
 Illa ruunt percussa: sonat mugitus ad auras  
 Plurimus, horrendoque assurgunt murmure valles,  
 Plangit & Alburnus, sylvæque, & ripa Tanagri.  
 Mugilibus stimulo pariter metuendus acerbo  
 Ater Asilus erit, cum surgens lûdis astrum  
 Incipit orbe vagos ipso cum Sole labores:  
 Nam tunc insequitur victor, fixusque sub ala  
 Mordet acu, & dulces morfu depascitur artus.

Verum lethiferis jam me pugnata sagittis  
 Bella vocant, mirumque latens in cuspide robur.  
 Sunt qui torpore armantur, pugnantque veneno,  
 Insignique dolo fallunt impunè natantes.  
 Veloces veluti Parthi, Medique fugaces  
 Prima leves ineunt virosus prælia telis:  
 Atque dolis, ferro nequeunt si vincere, fallunt.

Prima venenatis Torpedo armata sagittis  
 Aggreditur pisces audax, quoscumque per æquor  
 Aspicit ire vagos, radiisque emittit ab ipsis  
 Turpe veneficium, turbatasque inficit undas:  
 Inficit & pisces torpore, fugamque retardat.  
 Protinus amittunt solitum stupefacta vigorem  
 Membra, rigentque omnes concreto sanguine nervis  
 Immotique greges steterunt: velût inuida si quem  
 Thessala corripuit cantu: stetit ilicet ille  
 Attonitus: subito nec se subducere cursu:  
 Nec vi, nec telis potis est insurgere in hostem.  
 Successu rùm læta, morantem pluitimâ rictu  
 Occupat, & multa torpentem cæde eruentat.

*Torpedinis  
 vis super-  
 faciens. Pli-  
 nius. & Gil-  
 lius.*

*Quo pisces  
 assu occu-  
 pat.*

Sz.

## 74 HALIEVTICORVM

Sæpius alato potitur sic Mugile victrix,  
 Quamvis per vitreos repar lentissima fluctus.  
 Nonnunquam casto similis distendit arena  
 Corpus, & optatos simulat se carpere somnos:  
 Ignari verùm ut subeunt vicinia pisces,  
 Infandum toto diffundit pectore virus,  
 Torpentesque necat morsu, ventremque saginat.  
 Præterea, mirum, per retia rara, leuesque  
 Insinuat citò per nassas, ferrumque venenum:  
 Inque manus piscantis agit, vincitque rigore.  
 Non sic per stipulas veloci murmure flamma  
 Serpit, vasta trahens latis incendia campis:  
 Ut circumfuso dispergitur aëre virus  
 Omnia pervadens, & rigore perdit acuto.

*Ut mirè  
 corpor infu-  
 suatur.*

*Trigonis vi-  
 rus, Plinius  
 & Lianus.*

*Quod è spi-  
 na emissum  
 piscas necat*

*È pisce a-  
 vulsa spina  
 adhuc le-  
 thalis.*

*Ille Uli-  
 ses interit.  
 Eurathius*

Sed jam, quo Trojæ periit vastator Ulysses,  
 Trigonis horrendæ subit immedicabile telum.  
 Lethiferæ in caudæ medio confurgit acutus,  
 Serra velut, radius, dura qua cuspide Trigon  
 Impetit, atque icu jacit irreparabile virus.  
 Ergo occulta latens scabro sub pumice nates  
 Dum spectat propiora greges, jacit arma, simulque  
 Pestiferum emittit virus, prædaque potitur.  
 Non sic Parthorum diro fucata veneno  
 Spicula, nec Cressæ tantum nocere sagittæ:  
 Nec quæ fumosis Liparæ distenta caminis,  
 Cyclosum venere manu, & Stryge perlita tela.  
 Non pisces tantum, piscatoresque cruentat  
 Virosum è viva contortum Trigone ferrum,  
 Sed cæsa pariter, fama est, è matre revulsam  
 Duritie indomita, & diri virrate veneni  
 Æs durum, galeasque, ipsumque incidere marmor:  
 Illius & viridès tactu marcescere ramos,  
 Delabique comas, solidosque arefcere truncos.  
 Hac rigida memorant virosæ Trigonis hasta  
 Telegonum quondam instruxisse in prælia Circen.  
 Ah miser! è egregium sævo mucrone parentem  
 Inscius occidit, dum sparsa armenta per agros,  
 Et lætos Ithacæ colles, & pascua lustrat.  
 Proh miras rerum sortes, & Fata Deorum!

Quem

Quem maris, & terræ, sævique pericula Martis,  
Totque minæ, & tanti nunquam fregere labores,  
Una Laertiadem Trigon confecit Ulyfsem.

Ergo tibi, piscator, erit non ultima cura,  
Ne te lethiferis transverberet illa sagittis.  
Verùm (cuncta datum vitare pericula non est)  
Incautum si fortè petat te cuspide Trigon,  
Quæ præfens adhibenda malo medicina, docebo.  
Vulcano in cinerem rediges ardente sagittam  
Trigonis: ipsa luem quæ detulit, ipsa salutem  
Restituet: pulvisque acri conspersus aceto  
Expellet virus, vulnusque obducat apertum.  
Interea ramus dum lethifer igne crematur,  
A vulsum moriente jecur de pisce dolorem  
Liniet: atque tumor subsidet. sæpè columbæ  
Stercora Naxadis reddent perfusa salutem.  
Proderit & multo furfur decoctus aceto.

Præterea Lupus, atque Leo, pidiq; Dracones,  
Atque graves Aquilæ, Squarinxque, & callida Vulpes  
Dura venenatis exercent prælia telis:  
Et stimulis Centrina, fugaxque armatur Hirundo,  
Virusque furis scruposo Scorpius antro.  
Et sævit nigro 1 Accipiter cum 2 Coccyge succo.  
At verò Gobii, & Sphyrænx mitior ira est.  
Idcirco tibi solerti stat mente cavendum,  
Ne molli capias 3 pro Perca Scorpion: at si  
Perculsus 4 sapiens, piscator, idonea dicam  
Quæ medicina malo: dissecti viscera Mulli  
Admoveat citus, aut illotum ad vulnera plumbum,  
Indomitumque ignis, vel acetum, vivaque sulphura,  
Et tunsun prodest lentisci imponere vimen:  
Magna quibus morbo lenimina. Sed vaser instat  
Bos tergo, magna que premit sub mole natantem.

Ut

*Quæ contra  
illius veno-  
num fuit  
medicami-  
na, ex Pli-  
nio, Taren-  
tino, & A-  
ginæta.*

*Quæque ad  
Scorpii, Go-  
biique ictû*

1 Olympici piscatores Milium vocant *Rondenonæ*, Hirundinem vero *Rodene*. 2 Coccyx Græcis, qui Lat. Cuculus, nostri Cocco, & *Luaccio*. 3 Allusum ad proverbium, quod de eo dicitur, qui optima caprans, pessima eligit. 4 Item adagium olim in Græcia celeberrimum: hujusmodi casu natum: cum piscator conclusis reti piscibus manum admoventes à Scorpio fetire Turanus, inquit, sapiam.

Ut piscatorem vigil aspicit, ilicet imo  
 Enatat è fundo, totoque incurvus inhæret  
 Corpore piscantis dorso, chelisque reflexis  
 Apprimit, astringitque tenacior: ille gravatus  
 Mole Bovis, refluus emergere protinus undis,  
 Neve haurire valet vitales ætheris auras.  
 Ergo vitæ aditu intercluso, deperit æstu  
 Piscator medio, & præda Bos ubere gaudet.

*Bovis af-  
 tus quo na-  
 taster oc-  
 cupat, Op-  
 pianus,*

Verùm incredibilem vastæ solertia Ranæ,  
 Quam Piscatricem nostri cognomine dicunt.  
 Ante oculos gemini fallendis piscibus extant  
 Extensique i pili in longum, quibus illa natantes  
 Decipit, & visu tribuit Natura parando.

Ergo, ubi turbato nigrescunt æquora limo,  
 Occultat se Rana luto, & pendentia fila  
 Attollit, piscesque data velut illicet esca.

*Rana mi-  
 rum inge-  
 nium ad  
 fallendor  
 piscis. Tul-  
 lius, Plu-  
 tarchus.*

Accurrunt illi celeres: trahit ipsa dolose  
 Paulatim radios: ignari fraudis in ipsum  
 Os Ranæ properant pisces, dum pone sequuntur  
 Læti escam: presso tunc Rana citissima ricu  
 Apprimit, atque avido confestim gutture mandit.

Non fecus ante fores fraudem molitur opertam  
 Ingenuus puer extremo sub limine valvæ  
 Intendit latè casses, & plurima circum  
 Grana jacet, pellecta quibus dum plumea turba  
 Approperat prædæ studio, tunc ille reducit  
 Ad sese casses: subit hæc tunc inscia textum,  
 Et dulcem mensis escam captiva ministrat.  
 Sic etiam volucres, si vera est fama, Cerastes  
 Decipit, atque dolo ventrem felicius explet.  
 Hac ipsa, ut perhibent, prædatur Sepia fraude,  
 Et Pulcher Cœli dictus de nomine piscis.

Non hinc prætereâ quo sepia sæpius astu  
 Piscantum ex oculis subducitur. impiger adstat  
 Cum puer, & ferrum jam jam missurus acutum est,

*Sepia, Po-  
 lypique a-  
 putia.*

Con-

1 Sic Arist. vocat appendices quasdam, quarum extrema crassis glo-  
 bulis præpilantur, surguntque ante oculos. At Plinius cornicula ap-  
 pellat: ait enim: eminentia sub oculis cornicula turbato limo exierit.

Confestim nigrum diffundit ab ore venenum ,  
 Quo nitidas perturbat aquas, vitatque natantes .  
 Nativum interdum variat mutata colorem ,  
 Osmylus ut, similisque jacet firmissima saxo:  
 Et lapidis ficta pueros sub imagine fallit .

At si Squamiferum cunctas percurrere fraudes ,  
 Præliaque, & dulces voluiffem dicere amores ,  
 Immenfum creviffet opus, nec vos mihi, Musæ,  
 Carmina tot faciles, authorque dediffet Apollo .  
 At precor hoc unum faltem memorate canenti .  
 Quis Deus hæc nobis primus monstravit, & alti  
 Oceani vix nota Diis arcana retexit ?

Nanque hominum non hæc inventa fuiffè putandû est.

Vir fuit Euboica genitus Colomelide Nympha ,  
 Quæ dulci insignis cantu, fidibusque canoris ,  
 Quæque inter reliquas Acheloidas una superbo  
 Præstabat formæ cultu, flavoque capillo .  
 Ast illam Oceani conjux Saturnia Tethys  
 Oderat, & totq conata expellere ponto est ;  
 Oceano quoniam conjuncta sub Anxio alto  
 Sanguine divino puerum fufceperat Idam .  
 Quem Dea per virides ætas Crateris, & inter  
 Muscosos aluit scopulos, & fcrupea saxa .  
 Hic illum cantu, cytharaque instruxit eburna :  
 Quæque forent piscosa magis freta, quæque tegendis  
 Opportuna dolis statio: quibus ostrea faxis  
 Plurima, quaque uda corallia rupe venirent :  
 Et sinveffano naffas compingere junco ,  
 Ac lentum calamo docuit subtexere linum .  
 Sed cum jam puer undecimum tranfegerat annum ,  
 Et poterat remis agitare per æquora cymbam ,  
 Ac verfare hamos, & retia, fedula mater  
 Artes piscandi varias, durumque laborem  
 Erudiit, multoque insignem reddidit astu,  
 Quò pelagi poffet verfutam fallere gentem .  
 Illa fed in primis charæ stat cura parenti,  
 Scilicet ut mores, fraudesque, & prælia, & arma ,  
 Et dulces nexus animorum, & fœdera certa  
 Difceret undofæ gentis puer ; unus ut omnem  
 Viâor Olympicam poffet fuperare juventam .

*Ida Fabu-  
 la, & qua  
 primum  
 vafione  
 pisciû mo-  
 res deteâti.*

Er-

Ergo illum chari ducit genitoris ad ora,  
Naturam ut doceat gnatum, ingeniumque natantum.

Trans Gades Libyam contrâ, quâ cœlifer Atlas  
Immensos humero Stellarum sustinet orbes,  
Stat domus Oceani nitido pellucida vitro,  
Et centum geminis surgit subnixâ columnis.  
Fulgurat ex hyalo textum, niveaque coruscat  
Crystallo paries, cardoque adamante renidet  
Plurimus, & fulva radiant ab iaspide postes:  
Marmore strata nitent Pario: sed cœsa columna  
Marmarica de rupe, nigrisque interlita punctis,  
Et sparsim minio, & ferrugine splendet Eoa.  
Desuper apparent cœlo depicta supremo  
Æquoraque, scopulique, sonoraque litora fluctu:  
Et quæcumque vago pascit sub gurgite Proteus:  
Educat & vastis in fluctibus Amphitrite:  
Omnia nativis rerum spirantia signis.  
Flumina crystallo in solida cœlata coruscis  
Parietibus latè apparent, rivique sonantes.  
Hic Licus, hic Phæsis redimiti cornua musco  
Undosa sub rupe sedent, versantque fluentia:  
Populeasque inter decurrit lætior umbras  
Eridanus, flavoque sonans in flumine Crathis,  
Vulturæque Hypanisque, & magno turbidus alveo  
Aufidus, avulsasque ferens cum gurgite quercus.  
Mirum opus, atque Deo dignum, Nereoque Magistro:  
Nereæ nam perhibent fabricasse immania templa,  
Cunctaque crystallo miris cœlasse figuris.

*Oceani do-  
mus descri-  
bitur.*

Hûc Dea cœruleis investa per æquora bigis,  
Tyrtheno procul è ponto cita transtulit Idam.  
Ut vitreo puer è curru delapsus, & alta  
Oceani ingressus palatia, constitit ipso  
Limine in undoso, patrisque nitentia templa  
Miratur, magnamque domum, solidasque columnas.  
Atque ingens miratur opus, operisque laborem,  
Et picturatum viva sub imagine cœstum.

Ut stetit aulai in medio Dea, cernua magnum  
Fluviorum patrem Oceanum, regemque natantum  
Confestim unâ cum puero veneratur. Amicam

Ex-



Excipit Oceanus Divam, blandisque profatur  
 His orsus dictis: Quis te, pulcherrima Nympha,  
 Finibus è patriis per tot fræta cærulea vexit,  
 Et procul Herculeas deduxit ad usque columnas  
 In mea tecta? sinus emensa interrita tantos  
 Sæthos undivagæ, puero quidnam petis isto?  
 Færagæ fixus adhuc amor est. Cui talia contra  
 Diva refert: Hic ille tuo rex magnus aquarum  
 Sanguine conceptus puer est pulcherrimus Idas.  
 Conjugioque tuo quondam dignata superbo  
 Quem postquam Ænariæ peperit sub rupe reposita,  
 Ipsa ego per virides actas Crateris, & undas  
 Nutrivi, & numeros, & carmina blanda, fidesque,  
 Et varia edocui piscantis munera, & astus.  
 Verùm ne patriis fraudem virtutibus, illum  
 Ad tua tecta tuli; doceas quæcumque natantum  
 Sit natura, genus, connubia, prælia, & iræ.  
 Si qua tibi restant monumenta, & gratia facti.  
 Quin decet & Divis genitum majora doceri,  
 Atque humiles hominum se supra attollere fortes.

Hæc dedit, & Regni contra Rex magnus aquosi  
 Hæc responsa refert: Faciam, formosa, quod optas,  
 Et regnatorem decet æquoris. omnia discet  
 Egregius puer undosæ secreta Profundi.

Dixit: & extemplo pastorem Protea jussit  
 Acciri sparsumque mari compellere in unum  
 Squamigerû genus omne. Throno mox Divus eburno  
 Descendit, Diamque unâ, puerumque reducit  
 In mille intertextâ nitentibus atria conchis,  
 Turbinibusque 1, 2 Aulisque & purpureis 3 Neritis.  
 Hic ubi cæruleo conspergit limina rore,  
 Crebraque subfiliens placido sonat unda susurro,  
 Constitit ante aditum Nymphâ Deus, & puer Idas.  
 Hinc, atque hinc denso glomeratæ Najades Orbe,  
 Et circumfusæ Nereides, & Thetis ipsa  
 Adstarunt, lætaque Deos cinxere corona.

Et jam turrato scopuli de vertice pastor

*Colomelidis  
 ad Oceanû  
 Oratio.*

*Oceani ad  
 illam re-  
 sponso.*

In-

1 2 3, Concharum species, de quibus lib. VIII. agemus.

*Proteus in  
nummum pi-  
scis cogit.*

Ingenti Proteus inflabat murmurè concham,  
Cærulei spumosa vocans ad tecta tyranni  
Dispersas pelago gentes. Vix murice ab alto  
Insonuit cantu cava buccina: protinus omnia  
In turmas, aciesque ruunt squamosa natantum  
Agmina diversis è fluctibus: ultima mundi  
Qui vada Hyperboreo currunt subiecta Trioni:  
Quique secant Indi maris æquora, quique repostæ  
Ammerices lustrant pisces freta ditia gemmis:  
Quique Erythræa colunt flaventibus æquora baccis:  
Et fluctus qui, Petri, tuos tenere rubentes:  
Quos & clausa Thetis gremio fovet, Ioniumque,  
Adriaque, & Pontus cum turrigero Ægæo.  
Haud mora fit, densis coeunt examina signis,  
Mucosofque tenent scopulos, & Protea circum  
Agglomerantur: aquis candent spumantibus undæ.  
Ac fremitu immenso venientum totus ab imo  
Gurgite fervescit pelagus, latèque remugit.  
Non secus ac rauco strepuere ut Martia cantu  
Classica, confestim sonitu pulsata moventur  
Castra, ruunt acies, ardentesque ære manipuli:  
Magnaque densati stipant tentoria regis.

Aspectu puer insolito conterritus hæsit,  
Atque pedem, secura petens, referebat in arcem,  
Cum divina parens, his orsa morata timentem est:  
Ne timeas, Tyrrene puer, quæ maxima ponti  
Monstra vides, Patris imperio, nutuque reguntur:  
Neve Diis inferre malum permissa potestas.  
Siste gradum, vati que animos adverte docenti:  
Mira quidem populi disces arcana marini  
Hac ignota tenus, legesque, & præliæ gentis:  
Quæ te scire decet, quondam & meminisse juvabit.

Et jam diversas acies, atque agmina Proteus  
Ordine quæque suo vitreis procedere campis  
Jusserat: ipse cavo despectat singula saxo.  
Ac velut, hybernis primo cum Vere relictis,  
Magnanimus campo Lotharus sese intulit, & se  
Accingit bello, sociosque in prælia poscit:  
Stat sublimis equo, cumuloque aspectat ab alto

Ag-

Agmina, dum pulchro procedunt ordine campis,  
 Quæque suas legio fulgentes ære catervas  
 Explicat, & densis latè micat horrida cristis.  
 Itque suis distincta notis: vexillaque certis  
 Intertexta nitent signis: nitet omnis in armis  
 Gens patriis, cunctique ducum post terga sequentes  
 Æquato incedunt sua per discrimina passu:  
 Helvetii, Cymbrique, bipenniferique Sicambri,  
 Saxones, & fortes Boii, Illyricique nivosi,  
 Germanique, Italique, & pictis Pannonæ armis,  
 Haud secus æquorei veniebant ordine certus:  
 Quique suis ardens squamis, & præpete penna.

Prima colorati ducebant agmina Mulli:

Pone Scari, densoque ibant examine Peræ.  
 Hinc dextra Synodontes aquam, Fabrique sinistra  
 Findebant cursu celeres: hos inter, & illos  
 Tollèbant medio Pagri, capira ardua cristis,  
 Et 1 Sparus aurata fulgens cervice, rubræque  
 Phycides 2, atq; Sudes, mixtique 3 Synagrides Orphis.  
 Indè sequebantur Sargi, Blennique, 4 Lyræque:  
 Et fulvo ardentés auro, squamisque coruscis  
 Umbræque, Auratæque, & Iulides, atque 5 Cinædi:  
 Et Melanuri, aliique tenentes ultima signa  
 Squamigerum, rotumque Aphyarum ignobile vulgus.  
 Jam læves acies properabant: prima nitentes  
 Agmina Trachuri implebant, Rhombique, Bovæque,  
 Ac nigris Coraces fulgentes tergora signis,  
 Et 6 Clarias incana, 7 dicataque turba Lyzo,  
 Post pingues ibant Solex, Milvique rapaces,  
 Et Cithari, Rajæque, voracique ore Dracones:  
 Quos inter teretes findebant marmora Scombri:

*Piscium  
 omnium  
 per suas spe-  
 cies tur-  
 masque ve-  
 centis.*

F

Ra-

1 Neap. *Sparaglius*, Romæ cum *Sargis*, & *Auratis* confunditur, *Mallix*, & in Liguria *Sparlo*, & *Sparallon*, Hisp. *Spargoil*. 2 Ab Olympiis piscatoribus audio vocari *Cannusa*. 3 *Praio* nostris, est autè capite duriore, & latiore, corpore verò veluti circino circumducto. 4 Dicitur etiam Romæ *Pesce Forca*, nobis *Forcato*. Squamis veluti cataphractus, & hinc per antiphrasim *Mal'armato*. 5 Fortasse erit, quem Olympiis vocant *Mafrene*. 6 Pro *Callarias* metri causa.

7 *Bacchus* piscis *Baccho* Sacærix *Acellorum* genere est, non verò *Mugilum*, ut vult *Plinius*.

## 82 HALIEUTICORUM

Ranzque, & variis Torpedò plurima punctis,  
 Atque nitens maculis, & verficoloribus astris.  
 Janque secunda greges claudebant agmina læves,  
 Cum gravibus subeunt armati protinus armis,  
 Ac sua caruleæ festinantur signa cohortes:  
 Ardentes minio Canci, fuscique Paguri,  
 Et Squillæ insignes villo, rosæque Locustæ,  
 Stipatusque ibat Leo plurimus, atque Elephanti.  
 Hic sonus exoritur magnus, fremit omnis aquarum  
 Campus, & in tractis canescunt æquora sulcis:  
 Ingentes acies, ingentia corpora densis  
 Ordinibus glomerata, vado spumante, ruebant.  
 Hi nivei Delphines erant, Thynnique fugaces,  
 Orcynique graves, spissoque examina cœtu  
 Pelamydum, rapidique Canes, turpesque Zygnæ:  
 Quas inter longo Ziphiz mucrone sequuntur,  
 Hastatumque cient agmen. discrimine parvo  
 Turpes immenso veniebant corpore Phocæ,  
 Et Vaccæ matris Æthyopum, Ammericique Manates:  
 Pistresque, Serræque, & duræ dentibus Orcæ:  
 Epotumque vomunt patulis è naribus æquor,  
 Ingentemque cient spumam. postremaque claudunt  
 Signa Phisetheres cum turrigeris Balænis.

Interea longo dum vadunt ordine turmæ  
 Squamiferum, varioque sonant discissa natatu  
 Marmora, muscoso scopuli de vertice Pastor  
 Et studia, & mores cunctorum, & prælia, & iras,  
 Ingeniumque, dolosque, & dulces dicit amores.  
 Auribus illa puer spumoso in margine fidens  
 Attentis bibit, & memori sub mente recondit.

*Qui dum  
 per legiones  
 incedens,  
 illorum  
 mores Pro-  
 sens, legesq;  
 docet.*

Verum ubi postremis abierunt agmina signis,  
 Dicendique Deus finem dedit, ilicet alto  
 Exiliit saxo, & vitreis caput abdidit undis,  
 Post armenta cito festinans ire natatu.  
 At Dea cum dignas submisso pectore grates  
 Cæruleo egisset tanto pro munere Regi,  
 Confestim celeres spumosa ad fræna jugales  
 Ire jubet, Calpeque retro, atque Atlante relicto,  
 Europam propter puero comitata recurrit.

In-

Inque sinus ingressa legit quæ ditia 1 Pœni  
 Rura tenent: Malacæque urbem transmittit: & altum  
 Ostendit puero 2 Caridemi culmen opaci.  
 Et quæ 3 Carthago fuerit, quibus illa Latinis  
 Expugnata armis memorat, terraque, marique:  
 Percensetque duces, & quo sub Consule capta.  
 Quæ dum commemorat, dicit transuictus 4 Alonas  
 Jam raucum currus 5 Sucronem præterit, & jam  
 Litus adit, steterat quondam quæ celsa Saguntus,  
 Quam Tyria cecidisse manu Dea dicit, in Urbe  
 Dum lentos diversa tenet sententia Patres.  
 Hinc & prætervecta, secat spumantis Iberi  
 Læva amnem, 6 Lunæque alias in montibus arces:  
 Et geminas dextra Balearidas ante relinquit.  
 Mox 7 Veneris delubra videt, celsamque Pyrenen,  
 Atque sinum scindit spumosa per æquora Gallum:  
 Quæque doceat pugrum Rhodanus delabitur, & quæ  
 Massiliæ magno sese curvamine portus  
 Pandit, inaccessas & vertice detegit arces.

Et jam litoreæ procul adventibus Alpes  
 Apparent, surguntque jugis super astra nivolis.  
 Hic lævum Dea pulchra latus perstringit, & inde  
 Præterit 8 Augusti, biga properante, Trophæa.  
 Hesperiam petit inde, sonoraque flumina Vari  
 Nicæaque retrò fugiente, atque arce 9 Monæci,  
 Divitibus claram populis, luxuque superbam  
 Ostendens urbem Ligurum sic fatut: Apricis  
 Collibus hanc 10 Genuus posuit Saturni urbem,  
 Imperiumque dedit magnum: nam classibus illa  
 Vecta mari magno fines pervenit Eoos:  
 Atque Palæstinos, & Cypri regna subegit,  
 Et Chion, & Lesbon: supraque Proponida signa  
 Invenit, Tanaimque jugo submitit, & ipsos  
 Cymmerios. nunc sola tenet tua litora, 11 Cyrne,  
 F 2 Pro-

1 Qui circa fretum in Hispania habitant. 2 Hisp. promontorium  
 Capo de Gata 3 Carthago. 4 Alicante. 5 Hisp. flu: Xuca. 6  
 Lunarium promontorium, & Scalæ Annibalis Capo Tosa. 7 Aphro-  
 dyssium Capo Crux. 8 Torbia urbs in Nicææ (Nizæa) ditone. 9 Mo-  
 naco Urbs Liguriæ. 10 Saturni filius, à quo Genavam conditam  
 ferunt. 11 Corfica Insula.

84 HALIÉVTICORVM

Proxima Sardoꝝ quæ cingit undique fluctu.

Sic mutat Fortuna vices, perituraque regna.

Interea jam currus equis pernicibus actus

Hetruscoꝝ præter fines vicina legebat

Ostia, Tibri, tua, & felices i Anxuris arces:

Inque Dicarcheas tandem perlæbitur oras.

Sic dulces thalami nexus, & prælia, rixæque,

Et studia, & mores primum patuere natantum.


Sed jam lina mari, textosque immittere casses

Tempus, & æquoreæ venando insistere prædæ.

---

i Terracina.

F I N I S.







*F. Solimone Inis.*

*H. Vincent Sculp.*





## HALIEUTICORUM

### LIBER IV.

**H**Athenus undivagæ moros, & nomina gentis:  
 Nunc artes, Neptune, tuas, tua, maxime Nereu,  
 Dona canam: primi nam vos demittere nallas,  
 Et medias linum docuistis solvere in undas.  
 Quare agite, & certum spirate in pectora carmen,  
 Ut piscandi artes, quæ sint, quæ cura adhibenda,  
 Quisque dolus, quo falsa cadat gens squamea ponti,  
 Discat Olympica solers piscator in æta.

In primis multæ sunt piscatoribus artes,  
 Insidixque, dolique, vagas quibus æquore prædas  
 Venentur, dulcemque ferant mortalibus escam.  
 Ac vlti in sylvis non venatoribus unus,  
 Sed varius labor est, intricatusque. Profundos  
 Hi circum longâ saltus indagine cingunt,  
 Includuntque feras: alii loca pervia, quæ se  
 Sollicitis agiles impellunt cursibus apri,  
 Obiectu armati claudunt, stipantque coronas:  
 Insistunt alii cursu, & præeunte canum vi,  
 Per montana leves, & per sylvosa locorum  
 Veloces agitant lepores: hic retia summis  
 Applicat arboribus subter frondosa, vel inter  
 Herbosos tendit campos: hic caele volantes  
 Captat aves: lentum spargit per gramina viscum  
 Alter, & optatam gaudet se fallere prædam.  
 Non secus æquoreas inter piscantibus undas  
 Est varius, multusque labor, fugientia semper  
 Per longas maris ambages, cæcosque meatus  
 Lubrica Squamigerum sectari examina cursu,

*Varia pi-  
 scandi ar-  
 tes.*

*Ut man-  
 di varia  
 sunt.*

26 HALIEVTICORVM

Et captare dolis, sparsoque includere lino.  
 Hic calamo, insidens scopulo piscator aprico,  
 Quæstus avidis immittit piscibus escas,  
 Incautosque hamo venientes fallit acuto.  
 At piscosa alii per litora, perque sonantes  
 Fluviorum ripas, mediove in gurgite solvunt  
 Cæruleos castes, onerataque retia plumbo:  
 Eque mari pisces quæ mox ducentia ducunt.  
 Hi pelagi virgulta inter frondosa reconduunt  
 Et sinvestano cõtextas vimine nassas.  
 Arma illi, & duris exercent prælia monstris:  
 Hi noctu nitidis perlustrant litora flammis,  
 Explorantque freti loca cæca, & subdola ponti.  
 Decipiunt armenta, feruntque ad litora prædam.

*Varia piscandi armenta.*

Sunt diversa simul pisces fallentibus arma:  
 Quæ solers prius expediet piscator, & illa  
 Quo formanda modo paucis, adverte, docebo.  
 Qui prædas tremula perquirat arundine, tortum  
 Multiplicè filo radium subtexit equino:

*Hamsi.*

Ast alii è spartho faciunt, restivè retorta,  
 Qui grandes cupiunt hamis comprehendere pisces:  
 Quique agitare gravi sseverunt agmina ferro,  
 Hi bisido armentur telo, durove tridente,  
 Et longum capulo, lentumque hastile reponants

*Fuscina.*

Ocyus ut dextra vibretur fuscina, & ipsos  
 Veloces certo pisces transverberet ictu.  
 At labyrinthis si fortè erroribus udam  
 Prendere amas prædam, facilemque impendere curam,

*Nassa.*

E junco castes, & vimineos labyrinthos  
 Intexes cono similes, cui vertice summo,  
 Intus ut imponas escam, sit circulus utque  
 E nasse inclusum valeas educere Mullum,  
 Aut nitidum squama Pagrum, Liparimue, Lyramue.  
 Et fundo ex imo pariter tibi conus in auras  
 Assurget medius, medioque in vertice conii  
 Os etiam spissis intexes undique juncis,  
 Qui proni interius flectantur, ab æquore piscis

Cum.

1 *Sinvestis fesse*, unde optimum deportatur vimen ad nassas texendaq. 2 *Lo Lançaturo*, Gallis, *trident*, & *Lançquet*.

Cum cœcum, illectus præda, se trudit in antrum:  
 Inde fugam prohibere queant, cum pastus in alium  
 Liber adire parat. Verùm quibus humida lina  
 Versandi studium, non est labor omnibus idem,  
 Hi 1 Jacula expediunt manibus, pars altera 2 Gryphis  
 & quora circumdant: alii 3 Sphæronas aquosis  
 Extendunt latè campis, divesque 4 Panagrum:  
 Ingentique trahunt conatu ad litora pisces.  
 Ast 5 Hypochas illi medio de linte remittunt.  
 Gangama 6 & his trahitur, piscosum 7 Diâyon illis.  
 Quæ diversa tibi subtexit arundine conjux  
 Retia, casta domum dum servat, & ubera circum,  
 Et circum dulces dependent oscula nati.  
 Tu vel, Olympiaco dum litore lentus ad umbram  
 Confidis, Solemque tibi defendis, & æstum:  
 Aut rigidam duras Hyemem, ventosque malignos.

Retia, &  
 quæ varia.

Præterea robustus erit piscator, & olli  
 Non vigor emoriens, non sint torpentia tristi  
 Membra lue, vel obesa, aut pingui tarda sagina,  
 Sed levia, & volucris veniant aptissima cursu  
 Nam fortes acies, & dura lacerare monstra,  
 Corpore magna quibus vis est, animique feroces,  
 Nativi spumosa tenent dum cœrula ponti:

Qualis esse  
 debeat pis-  
 cator.

F 4 In-

1 Expeditissimum retis genus, quod unus piscator jaculi instar jacit: nostri *Iacobio* indigunt, illius autem usus circa ostia fluviorum maximus est, & ubi vadum breve est. 2 Alterum retis genus longum passus quadraginta, altum verò sex: hoc verò passus triginta a terris extenditur Nostratibus appellatur. *Rexxolla*. 3 Sic dicti, quia in orbem circumducuntur, & fortasse erunt ea retia, quæ stataria dicuntur, nostris *Rexx di Poſta* longa passus centum quinquaginta: solvuntur in altum quingentos à terra passus. Vespere autem jacitur, & per totam noctem stat mari, cum verò prima erumpit diei lux educitur. 4 Inter retia maximum, dicitur etiam *Sagena*, Nostris *Sciabica* quo omnia piscium genera capiuntur. Longum passus quingentos, ad mille verò à terris jacitur: nec nisi à litore denis piscatoribus educi potest.

5 An sit quod nostri vocant *Tarrama* non auctim affirmare, verisimile mihi tamen videtur: est autem rete longum passus sexaginta, omne piscium genus concludit, etiam qui intra limum latent, radij enim limum, & arenas: illius usus præcipuus matutino tempore est. 6 Nostris Græco vocabulo etiam *Gangama* nuncupatur. 7 Erit fortasse quam Nostrates indigunt *Tarrarone*, longum passus ducentos medio in mari solvitur, & à quatuor piscatoribus eriguntur secundo maris fluxu, & die illucente.

38<sup>t</sup> HALIETICORVM

Interdumque leues opus est æquare sequendo.  
Nunc verò in medios scabro de pumice fluctus

Mittere se, pelagoque diù durare profundo,  
Ingentesqua secare vias: ac sub sale vasto,  
Ctu tectis habitare, graves & adire labores.

At nunc ex imo rursus se reddere ponto  
Saxa super saltu, prædamque inferre canistris.

Quin etiam rerum sit solertissimus usu,

*Et quam solers & sagax.* Ingenioque sagax multo piscator, ut omnes  
Conjectare queat, fraudesque, dolosque narantum,  
Retia cum subeunt, atque itremabile textum.  
Sitique manu promptus, casuque interritus omni:

*Et laboris patiens.* Vividus, ac somni patiens, patiensque laboris:  
Atque Hyemem, rigidumque Jovem, vêtosque malignos,  
Et rapidos tolerare æstus condiscat, & imbres.

Æquor amet, nullumque recuset inire laborem:

Mercurio sic charus erit, sic divite semper  
Lætus erit præda. Sed jam quo tempore felix,

*Quo tempore capitur felicit.*

Expedit, captura. Fores cum Vesper Olympi  
Pulsat, vel primo cum Lucifer emicat ortu

Autumnum sub pampineum venabere pisces.

At si Bruma riget, sparso dum lumine Mundus  
Fanditur, incipies ipso cum Sole laborem.

Sed si Ver nitidum, laxandis commoda linis

Tota dies: summo ludunt nam gurgite pisces.

Vere novo, & circum cautes, & litora curfant,

Conjugii studio, charæque cupidine prolis.

At verò ut Zephyris ridet vocalibus Æstas,

Lina prius pelago, quam ros fluat æthere, mittes.

*Ventorum ratio habenda.*

Nec minor, alato spiret qui flamine ventus

Cernere cura: levis si sit, placidoque flabello

Oceani vitreas impellat leniter undas:

Horrida nanque greges oderunt murmura muti:

Nec super albentes spumis, strepituque sonantes

Ludere amant fluctus, scopulosque, & litora propter

Errare. At vento felix captura salubri

*Piscis aduersi a quo, ventosq, natat.*

Semper erit: placidos oprant examina ventos.

Insuper, id non te lateat, gens squamea fluxum

Advenientis aquæ, & spirantia flamina contra

Tendit iter, facillique secat strata æquora cursu.

Qua.

Quales adverso perrumpunt aëra rostro  
 Obnixæ vento volucres, curruntque citatæ:  
 Nam secus à tergo præmit aura, fugamque retardat.  
 Ergo ubi Sythonio Boreas de litore spirat,  
 In medium piscosa diem jace lina: nivosum  
 Sed contrà in Boream, rauco si murmure stridens  
 Finibus è Mauris Notus irruat: inque rubentem  
 Auroram, sonat è nigro si Vespere ventus:  
 Inque domos Zephyri, roseo dum creber ab Ortu  
 Veloces citat Eurus equos, cælumque serenat.  
 Nam sic innumeri venient ad retia pisces  
 Sponte suâ, gratoque gement sub pondere cistæ.

*Hinc qui  
 sua solvent  
 dactilia.*

His animadversis, instat jam tempus aperto  
 Ire mari, & molles captare indagine prædas.  
 At primus, facilisque labor demittere in altum  
 Vimineos casses, escamque includere junco.  
 Principiò nassas pelago detrude profundo,  
 Atque ubi cæca dolum sylvarum protegit umbra:  
 Nam secus undosæ detecta fraude cohortes  
 Effugient, illis quando mens callida, & acere  
 Ingenium vitare dolum piscantis, & astum.  
 Nonnunquam refera nassam saxosa secundùm  
 Litora, ubi densis frondent arbuta viretis,  
 Condere; nanque illuc correptæ frondis amore  
 Sæpe ruunt acies, circumque frequentius errant,  
 Quas veniente die demittis in æquora nassas,  
 Has tu ventura pariter surgente reduces.  
 Vespere si jacias, sero jam Vespere tolles.  
 Profuit interdum geminos sub Doride Soles  
 Deservisse: graves nam sic venere sub auras,  
 Et longam captura moram pensavit opima,  
 Nonnunquam quæ Sole vadum petiere cadentes,  
 Illo etiam surgente, graves de gurgite surgant.

*Piscandis  
 primus la-  
 bor per nassas.*

*Quibus in  
 locis de-  
 minenda.*

*Quo tem-  
 pore, &  
 quando e-  
 duenda.*

Sed quibus illecebris escarum, atque ubere succo  
 Coniferos oneres casses dicamus. In igne  
 Carabon ⁊ edomitù, Polypamve, Chrominve dolofo,  
 Piscator, junco impones: nam piscibus illa  
 Esca placet, gratoque simul nidore trahuntur.  
 Et sale perdomitas multo detrudere Sardas,

*Quibus es-  
 cis auc-  
 tanda.*

En-

⁊ Caneri genus.

90 HALIEVTICORVM

Engraulisque potes: nihil est iucundius istis,  
Fragranti quorum pisces capiuntur odore.

At si muscolo mittis de vertice filum,  
Ipse tibi figendus erit 1 Lumbricus in hamo.

*Et quibus  
armandus  
fit hamus,*

Quem prius undosa subter, venator, arena  
Perquites scopulosve inter, scabrosa que propter  
Saxa, frequens ubi cæruleo de semine surgit.  
Quin etiam molles Aphyas, Squillasque rubentes  
Pro dulci impones esca, illecebrisque dolosis.

Præterea cunctis non una est piscibus esca  
Gratior, in prædam quamvis ruat ore voraci

*Diversæ pi-  
scibus va-  
ria sunt  
esca.*

Squamiferum genus omne: Trahit sua quemque voluptas.

Loligo Cancris capitur, 2 Carideque Labrax:

At Thynnus Coracinus agit, Callychthida Thynnus,

Mænides Auratam: miuiso qui fulgurat Orphum

Dat miserum fato Mullus, dat Hiatala Sargum.

Infans in Polypos currit Muræna furore;

Anthias inque Lupum, mollemque Orcinus Asellum:

Et socium perdit Melanurum, & 3 Cyrrhida Perca:

Dat 4 Phagrum fati Channis, dat Carcinus illam.

At 5 Bocas Synodontes amant, Hippurus Iulum:

Hippurum Ziphæ, Glaucumque ad flumina Mugil

Sponte trahit. Sic quisque suo se perdit amore.

*Varii pi-  
scandi a-  
sine.*

Nunc age diversas fallendis piscibus artes

Præcipiam tibi, Piscator, fraudesque, dolosque:

Mugilis & primum quæ sit captura docebo.

Ante tibi Mugil medio quaerenda profundo

Fœmina, cui tenui lignum transige labello,

*Et primum  
quo Mugil  
fallendus.*

Quo spartho religata trahi per marmora possit.

Sed cave ne morti dedas, nanque aprius illa

Tendet viva dolos, sociosque in funera pellet.

Hinc postquam in pelagus deduxi è litore cymbam,

Remigio bini insistant, solertior alter

Captivam de puppe trahat per cærulea filo:

Proximus huic alter ferro venator acuto

Scet vigil, atque data promptus re fortiter uti.

Emi-

1 Vermis, qui sub arena nascitur, *verme del mare*. 2 Parvæ Squilla.

3 Idem qui Adonis à flavo colore sic dicitur. 4 Idem ac Pagrus.

5 Eadem ac Boops à boando dicitur. Bo x scribitur per ò magnum  
Boops per o parvum, 2 Lumbrici nobis etiam *Iselli*.

Eminus ut sociâ spumosa è Doride Nestes  
 Aspexere, ruunt stimulis, æstroque furentes,  
 Collectique una circumstant undique, fraudis  
 Ignari, luduntque hilares, blandisque morantur  
 Illecebris, majorque obtutu exæstuat ignis.  
 Interea, qui puppe sedet piscator in actam  
 Imperet urgeri lintrem citus, atque ubi pontus  
 Sub nitidis splendescit aquis, ut & agmina possit  
 Conspicere, & certo ferrum intorquere rotatu.  
 Ut ventum est, remos inhibete: atque ilicet unus  
 Vimineam adducat restim: mora nulla, sequuntur.  
 Igne mares acti sociam, densaque caterva  
 Deproperare illis amor est: dominamque tueri.  
 Tu jaculum citus interea, venator, acutum  
 Expedies, multamque feres de gurgite prædam.  
 Nam rigidus, quamvis iteres in vulnere vulnus,  
 Ac totum subeat mare sanguine, non tamen illi  
 Saucia terga dabunt, nimio sed amore furentes  
 Sponte ruent, pulchramque petent per vulnera mortem.  
 Sævus amor, quid non hominum mollissima coges.  
 Pectora, si tantum torques prædura ferarum!

*Mugilis ni-  
 mia sala-  
 citar. Elian-  
 nus, & Op-  
 pianus.*

*Ob quam  
 necesse ple-  
 rimum.*

At non præteream, quo certius agmina ferro  
 Assequerere: sudem puppi defigere longum  
 Cura tibi, circus capiti cui ferreus insit:  
 Quo restis transmissa simul cum pisce trahatur  
 Longius è pinu: nam sic stipata natantum  
 Turba peti certo poterit felicius ictu.  
 Si secus, ipsa teget squamosas cythba cohortes.

*Antimud-  
 verso quo  
 facilius pi-  
 sces feriun-  
 tur.*

Nqn tu dissimili, Piscator, callidus arte  
 Per spumosa Scaros venabertis æquora pictos,  
 Dum captiva tibi candenti scæmina vinclo  
 Ore tenuis raptatur aquis, non longius alter  
 Gibbosam juxta nassam ferat, ilicet ingens  
 Turba Scarùm properabit opem lætura sotari,  
 Insanæ Veneris stimulis agitata malignis.  
 Ast ubi jam densa puppim cinxere coronâ,  
 Vimineam in fraudem captivam protinus infer.  
 Faciferam subter dominam descendere cassem,  
 Ut videre, dolorum ignari, æstique furore

*Alnus non  
 dissimilis,  
 quo Scari  
 capiuntur.*

*Qui & ma-  
 xime sala-  
 ces. ydem  
 Antheros.*

In

92. HALIEUTICORUM

In labyrinthicos contexti viminis orbes  
 Sponte mares adigent sese: cœtuque frequentâ  
 Captorum impletur latè irremeabile textum:  
 Difficileſque aditus, portæque artantur hiantes.  
 Quin etiam affectat socium prævertere cursu  
 Quisſque ſuum, & cæco primum detrudier Orco.  
 Miſque adeo miſeros dementia torquet amantes.  
 Ergo adeunt latebras, maculoſaque texta volentes,  
 Et charam denſi circum glomerantur amicam:  
 Sic & amore juvat periiſſe. Dolofus & alter  
 En modus: æquorea naſſam ſuperintege myrto  
 Plurimus, aut muſco: captiva hic fœmina plexis  
 Libratur juncis, ſcopuloſque abſconditur inter,  
 Quos celeri ſvevere Scari percurrere curſu,  
 Ut lætos carpant frutices. Hic illa frequentes  
 Advocat ad naſſam ſocios, quos Cypridis aura  
 Mollè agit, & teneros ſub pectore ventilat ignes.  
 Aſſiduè circum perluftrant undique naſſam,  
 Ignarique dolum perquirunt, & ſua Fata,  
 Ut tenere aditus, & ineluctabile ſeptum,  
 Illicet inſillunt omnes, ceu cardine rupto,  
 Obſeſſam miles ruit interſuſus ip arcem.  
 Ac veluti ſolers ſi quando texuit auceps  
 Alitibus fraudem, denſaque in ſepe cœnoram  
 Occuluit volucrem, quæ cantibus æra complens  
 Dulce melos iterat, ſociosque in frondea texta  
 Allicit, inque dolos. accurrunt illicet illi  
 Fœmineo acciti cantu: rapidoque volatu  
 Spontè dolos ſubeunt, vitamque in vinaine ponunt.  
 Haud aliter maculoſa Scari venere ſub antra.  
 E quibus ignari ſuperas ſe mittere ad auras,  
 Venanti ſtant præda: cævo qui lætus ab alveo  
 Educet dextra piſces, ciſtamque roplebit.  
 Quin etiam vel muſca Scærum trahit unatenagi  
 Illam fige hamo, & pelago jaces: nanque reducet  
 Captivum tibi capta Scærum. Sed candida lacte  
 Sepia deproperas, quam non tibi vimina ſepti.  
 Ut capias oneranda, mari nec lina profundo  
 Demittenda: ſuo quoniam capienda furere.

*Frans alte-  
ra qua de-  
cipiantur.*

*Ut dicit ad  
fœmina  
cantum.*

*Capiuntur  
etiam mu-  
ſca inſua  
hamo.*

*Qua arte  
ſepia falla-  
tur.*

Qua



Qua flagrat infelix, ultro venit obvia. In undas  
 Devincta è curva laxetur scœmina puppi.  
 Haud mora, conspecta properabunt cominus, & se  
 Implicitæ circum gyris glomerantur amicam.  
 Ac veluti innuptæ longo post tempore quando  
 Absentem rediisse patrem videre puellæ,  
 Occurrunt lætæ venienti, & brachia tendunt  
 Colla per, & charos humeros, & mollia libant  
 Oscula: sic teneris illæ complexibus hærent,  
 Quas tu vel dextra capies, piscator, amica.

At quia difficile est, medias ut viva per undas  
 Sepia de puppi filo devincta trahatur:

Populea Idcirco mirâ constringitur arte,  
 Quæ veram forma referat, niveoque colore,  
 Innectuntque duo vitri fragmenta corusci,  
 Clarior ut tremulo splendescat lumine Lunæ:  
 Utque mari credunt, chrystalli lucida fundo  
 Obvertunt fragmenta: procul quo lumine viso,  
 Accelerant proci cursum: vicina tenentes  
 Piscator circo cœus apprimat: excita vitro  
 Nam si populeam conspexerit Sepia fraudem,  
 Continuo fugiet nunquam capienda. Sed illis  
 Inprimis sit cura tibi, venator, habenda,  
 Nimirum Luna venatum exire nitenti,  
 Certius ut nitido discernas lumine veram.

At quo Signiferi veniat sub sydere major  
 Captura, expediam paucis: cum portitor Helles  
 Surgit ab Oceano stellato in vellere fulgens,  
 Et cum vicinus præterdit cornua Taurus,  
 Vere novo (nam vere ineunt connubia) prædam  
 Quæ situm venies tranquilla per æquora. verno  
 Vimineis illas venari tempore nassis  
 Sæpe potes, viridi nassas si fronde myricæ  
 Aut crebri frutices, densusque oleaster obumbret:  
 Nanque dolos subeunt virides, & fronde sub ipsa  
 Mutua connubia, & dulces celebrant Hymenæos.  
 Donec captivæ in siccam ducantur arenam:  
 Vitæ ubi jam miseræ, cessantque cupidinis. O! qui  
 E patriis egressus aquis per litora repis

*Quis mihi  
 rursus equum  
 ingem at  
 mor.*

*Animad-  
 verso ut fe-  
 llicior affus  
 succedat.  
 Accipi d  
 Tarentinis.*

*Quo tempo-  
 re sepiarum  
 piscatio.*

*Affus alter  
 illas deci-  
 piendi.*

*In*

94 HALIEUTICORVM

Inque oleas iter intendit: vestigia nosco,  
 Cirrataeque manus. Mirum natura sagaci  
 Indidit ingenium Polypo, qui litora saxi  
 Dura tenet, Cæloque interdum gaudet aperto.  
 Ardet amans oleam, glaucæque cupidine frondis  
 E patriis petiturus aquis emergit ad auras.  
 Arboreis infano (mirum) torqueriet igne,  
 Et desiderio rami, cui pectore nullus  
 Sensus inest, dulci nec responsurus amori est.  
 Sed quæ non miseris cogit malefana cupido!  
 Frigida sæpe, fera, & quæ non pateremur, amamus.  
 Quæ refluos juxta fluctus, & litora propter,  
 Palladiæ surgunt oleæ, baccis que resident,  
 Osmylæ arcano rui irritatus ab æstro.  
 Ac velut obliquos gressus, & lustra ferarum  
 Per juga vestigant rapidi sylvoſa Molossi  
 Nativis aſti ſtimulis, & naris odoræ  
 Indicio, & damam, cum jam tenere propinqui,  
 Dentibus apprehendunt ſubiti, ſtringuntque tenaces.  
 Non aliter glaucam Polypus deprendit olivam,  
 Quoque loco vireat: vitreoque è Tethyos alvo  
 Emergit lætus, ſiccis que obrepit arenis.  
 Dives ubi baccis ſplendescit ramus olivæ,  
 Et cùm jam truncum propior ſuſceſſit, amicæ  
 Ingenti exultat ſtudio radice potitus:  
 Et tenet, & circum ſeſe convolvit in orbem.  
 Parvus uti puer advenientem ture paterno  
 Nutricem petit, expansis que amplectitur ulnis.  
 Hinc ſurſum præſtendit iter, ferturque ſub auras:  
 Calyculis fixus que tenacibus herbida ſerpit,  
 Perque comas oleæ, viridique in termine gaudet:  
 Atque hunc nunc ramum, nunc & complectitur illum.  
 Ceu quis ab externa in patriam Tellure reſerſus  
 Una omnes ipſo collectos limine amicos  
 Excipit, inque ruens gremium circumfovet omnes,  
 Ac velut implicitæ, crebroque volumine quercus  
 Per medias ſerpunt hederae, lætae que per omnes  
 Extensæ ramos ima ab radice plicantur:  
 Sic glaucam Polypus oleam ſtrictiſſimus ambit:

*Mirus il-  
 lius ip  
 oleæ amor  
 Alianus, &  
 Oppianus.*

*E mavi e-  
 gressus in  
 oleam aſſe-  
 dit.*

*Perque va-  
 mor lætus  
 obrepit.*

Lætaturque sacro sub palmite . Tardus ad undas  
 Hinc se deducit patrias, expletus ubi omnis  
 Palladiz jam frondis amor , pelagoque quiescit.  
 Hunc morem Polypi edoctus , piscator, olivæ  
 Innectes ramo plunibum , mittesque sub æquor.  
 Assurget sacre conspectâ fronde Minervæ  
 Confestim ex imo Polypus, fustuque tenaci  
 Apprendet prædam lætus, mox præda futurus:  
 Scilicet è medio tolles si gurgite ramum:  
 Quem non dimittes, pereat licet, usque canistro  
 Quò positus, charo linquet sub termitè vitam,

*Mini olea  
 capient.*

Non aliter peregrinus agit trans æquora Sargos,  
 Sèù sit amor, mentisve furor, Verum est amor omnis  
 Vel dulcis furor, aut captæ fallacia mentis.

Hi teneras miro sectantur amore capellas.  
 Quis credat? socio discordes fœdere gentes  
 Jungit amor, surdosque vocat ad litora pisces.  
 Ergo ubi sylvofo descendit vertice montis,  
 Inque sinus, & curva greges ad litora Pastor  
 Pressat agens, vitreo loturus flumine Capras,  
 Sol inclinato cum jam temone rubentes  
 Pingit aquas, nimiusque Canis deserbuit æstus.  
 Ut simas raucâ balantes voce capellas,  
 Accipiuntque sonum pastorum, sive cicutam  
 Aure bibunt, medio properantes gurgite Sargi,  
 Ad litus denso festinant agmine cursum.

*Mirus Sar-  
 gorum a-  
 mor.  
 Idem Au-  
 thores.*

Exiliuntque mari celeres, fusi quo per actam,  
 In teneras miscuntur oves, saltuque petulco  
 Lascivos agitant lusus, festasque choreas.  
 Interea non visa super miracula pastor:  
 Piscis & ingenium, & mirum miratur amorem.  
 At non invitæ excipiunt squamosa capellæ  
 Agmina, nec vitreas renuunt spectate choreas.  
 Sed non lætitiæ Sargis modus: humida jactans  
 Corpora ludenti similes, risu quoque perulco  
 Oscula lanigeris libant furtiva capellis.  
 Non tantum caulis inclusi matribus hædi  
 Assiliunt, circum distenta per ubera fusi,  
 Cum pingues sero redeunt Vespere pastu,

*Ad litus  
 natant ca-  
 pras; exci-  
 piunt.*

**Accl.**

96 HALIEVTICORVM

Accipiunt gestu læti, plausuque coronant.

Verum cæruleo lotas de flumine capras

*Attonsi-* Pastor ubi jam serus agit, proh mira cupido!

*bas mox* Lugentes denso capras tum pone sequuntur

*capris, de-* Agmine, quæque valent mæsti dant signa doloris,

*lent.* Ut calido pisces rotari flumine credas.

Neve sequi cessant, ni cum venere natatu,

Litus ubi placido ludentem Tethya risu

Accipit, & refluxo cautes à rore madescunt.

Ceu cum mæsta virum patria Tellure per altum

Insequitur conjux abeuntem, atque ultima dicit,

Multa gemens, largoque humectat lumina rivo.

At miseros tamen hæc Sargos insana cupido

In fraudem trahit, & nimius nece plectitur ignis.

Ergo peregrino pisces in amore furentes

Hoc tu decipies astu, piscator: ovilla

*Hinc quo* Pelle tuos operi, mos ut pastoribus, artus

*astu capi-* Et gemina in geminis mox tempora cornibus apta.

*tur, & vsc:*

At prius è Cerere, & caprino viscere pultem

Conficies, cui gratus erit pinguedine nidor.

His ætis, viridi florentes germine cautes,

Et quæ turrato consurgunt vertice juxta

Litus, & aurato splendent lumine solis,

Quasque inter medio Tethys perlabitur æstu:

(His etenim Sargi scopulis, & lumine gaudent)

Nudus erura pete, apricoque cacumine sive,

Hinc hamo affixam duro da piscibus offam.

Confestim pelago revocabis ab usque profundo

Gratus odor Sargos, mentitaque signa capellæ.

Qui vitreo circum lusu, festoque natatu

Ingnari accipiunt hostem, plauduntque rapinæ.

Assultantque alacres, & amicæ viscera capræ

Ore petunt, avidique bibunt cum fraude venenum.

Atque infelices transixi guttura, tandem

Pro Pastore lupum pellita in veste latentem,

Pro tenero durum deprendant viscere ferrum.

Ocyus abducto tremulis è fluctibus hamo,

Divite tum præda gaudebis Olympice: & omnes

Fortunata tuos scindet captura canistros;

Sed valox operi incumbas, fraudesque dolose

Ignas

Ignaros lateant pisces: si forte dolum quis  
 Percipiet, cuncti fugient, nec saxa, neque ulla  
 Amplius affectant escas. odere capellas,  
 Atque cibos odere, & aprici litoris oram.  
 Usque adeo violata fides se vertit in iram,  
 Inque odium defleat amor. sed jam dolus alter  
 Insequitur, cautos possis quo fallere Sargos:  
 Et miseris amor ipse doli fabricator. Aperto  
 Lumine dum verno splendent tempore Soles,  
 Purpureusque calet sanguis per viscera, & omne  
 Alituum, pecudumque genus, rutæque natantum  
 Nativis intus stimulis, atque ignibus actæ,  
 Et desiderio prolis connubia quærunt,  
 Tunc non æqua mares exercent prælia Sargi.  
 Quique alios vitreo confregerit æquore victor,  
 Gallus uti, cunctis hic vir præponitur unus:  
 Fœmineoque præest cœtu, quæm caute reposita  
 Occulit, æquoreis circum qua frondibus ingens  
 Lentiscus floret, vel odoro germine muscus.  
 Quæ cum sic habeant sese: de vimine textam  
 Has inter petras florentes occulle nascam,  
 Atque aditum viridi myrto, laurove corona.  
 Nam postquam bello victor, prædaque positus,  
 In scabrosa gregem compellit saxa, dolosa  
 Conspectans sub fronde domum viridante cavatam,  
 Illuc fœmineum deducet nescius agmen.  
 Hoc subit: ipse fores custodit, & inter amicas  
 Non alium finit ire marem, sed territat omnes  
 Horridus aspectu. cum jam tentoria Nymphæ,  
 Implexosque dolos petierunt, ultimus ipse  
 Ingreditur, visitque specus lacrymabile Ditis.  
 Ac velut ad caulas, cum deserit Hesperus Oetam,  
 Lanigeti rediere greges: stat limine pastor,  
 Et numerum censet venientum, & singula lustrat.  
 At postquam immisissis plenum est præsepe capellæ,  
 Ultimus ipse subit caulas, atque ostia claudit:  
 Sic ubi fœmineæ nascam subiere cohortes,  
 Infilic ille, suo infelix periturus amore.

Nunc age, jam pernix hamo fallendas, & astu  
 Hippurum properat chorus omnis. Inania ponto

G

Quæ

*Dolus  
 fraude, fu-  
 giunt, nun-  
 quam fal-  
 lendi.*

*Alter do-  
 lus quo de-  
 cipiantur.*

*Et quo  
 tempore.*

*Sargorum  
 bellum.*

*Alianus, &  
 Oppianus.*

*Hippuri pi-  
 scas.*

*De rotundis  
fragmenta  
quarant;* Quæ fluitant fragmenta ratum, quas horrida nimbis  
Tempeſtas diſjecit, & æquore ſparſit aperto,  
Hippuri inquirunt alacres: inventaque ligna

*Et ut ca-  
pianur.*

Agmine ſectantur denſo. ſi dyctia circum  
Miſeris, ex templo turba potiere frequenti.  
Sed tibi ne veniat prædæ tam dira cupido,  
Ut levius, periſſe feras Aquilone carinas.  
Hanc maris undiſoni, & Cœli pia numina peſtem  
Navibus avertant, & amica luce benigni  
Tyndaridæ: tranquilla rates per cœrula currant,  
Et ſemper ventis ſinuentur lina ſecundis.  
Quare alios meditare dolos, quibus humida fallas  
Agmina, turrizque ſecent placida æquora pinus.  
Fragmento è multo tabularum, aut vimine faſcem

*Falluntur  
faſcibus vi-  
mineis,  
quo, amâ,  
Citati Au-  
thores.*

Vorticibus ſuper imponas, quem pendula ſubter  
Saxa trahant, unaque vadis agitentur aquoſis.  
Hippuri ad notas imis è fluctibus umbras  
Illicet accurrunt læti, denſique reſidunt  
Faſce ſuper viridi, atque umbra potjuntur opaca.  
Tum ferro citus accurres, eſcaque doloſa:  
Ignaroſque neci dedes. Sub imagine cymbæ

*Et Pœpilus  
ſub Cymba  
umbra.*

(Nanque olim piſcator erat) hoc Pompilus aſtu  
Fallitur, & ſortem ruruſus ſibi ſentit iniquam.

*Quo loco, &  
aſtu An-  
guilla ca-  
piuntur.  
Oppianus.*

Diſce, puer, molles ſinuoſi ad litoris oram  
Turrito inſidens ſaxo, vel in arbore longa,  
Quam crebrò excuſſam veſtarunt flumina Coris,  
Anguillas extis immiſſo occidere vento.  
Pinguia captarum, cubitiſque extenſa quaternis  
Inteſtina mari demitte, orique ſupremo,  
Quod teneat tibi dextra, puer, prius inſere fruſtum  
Non longum calami. Conſpectis illicet extis,  
In prædas Anguilla fame ruet aſta voraci:  
Apprendetque leves hamatis dentibus eſcas.  
Inteſtina peti cùm ſenſeris, illa tumentis  
Proximus ore cava replebis arundine vento,  
Anguillæ in fauces qui cùm pervenerit, omnes  
Confeſtim prohibet vitales ætheris hauſtus,  
Seſeque intrudit violentus: at illa tumefcit,  
Et ſatura infelix aliena deperit aura.

Fallere ſi cupies hamo, lumbricus adunca,

Vocalifve tibi figatur cuspide rana.

At magnam Baravis capturam terreus affert  
Lumbricus, multos glomerato colligit orbe  
Piscator, noctisque udo sub sydere subter  
Mittit aquas, subitæque leves ad pabula currunt  
Anguillæ, & teneros complexæ dentibus angues,  
Sese ipsas, læto dum gaudent viscere, perdunt.

Sed Mamertinà qua nunc venaberis actà  
Anguillas astu, puer, accipe: Creber ad undas  
Ionias devexus, aquisque uberrimus amnis  
Extremo passim præterfluit Apennino:  
Inque Thetin trahit Anguillas, queis divite vena  
Rhegini pinguent amnes, & amœna fluenta.  
Hæc sale cæruleo, spissaque uligine ponti  
Ubere pinguescunt læto, dulcique sapore,  
Quo vel Chaonios pullos, & Phasidos ipsas  
Laudatas Graio vincant sermone volucres.

Jam verò instructus cono Sicana subito  
Litora, ubi molles 1 Apyreni crebrius errant.  
Nam Sicula, ut perhibent, per saxa frequentius atrum  
Attendent limum, & refluis lætantur ab undis:  
Hesperium rarò lustrant latus, unde profectæ  
Trinacrios prono subierunt flumine fluxus.  
Atque udo quoniam somnos in litore carpunt;  
Quæsitum prædam venies, cum sydera Cælo  
Labuntur, tacitoque volat vaga Delia curru:  
Et tædam tibi læva feret: pes unus & undas  
Vix ciat, & tacitus vix supprimat alter arenas.  
Utque soporatum deprendis lumine, circum  
Desuper impone, & dulces una excute somnos.  
Nanque excita sono, facibusque exterrita textum  
Anguilla in conum fugiet peritura. cavato  
E trunco capies astu, piscator, eodem.  
Sæpe etiam poteris dentato figero ferro.

Nunc age, torrentes inter, rivisque sonantes  
Pinguis ubi Anguilla, & sæcundo nascitur ortu  
Plurima, qua solers fallas, puer, arte, docebo.

G 2 Ar-

*Ut à Bui-  
tannis sal-  
lantur.*

*Errei Siculi  
Anguilla  
opsima.*

*Ut illar  
piscantur si-  
culi.*

1 Anguillæ exoffes, quæ loco spinæ cartilaginem habent, camqua  
tenacram aded, ut in cibos etiam appetatur.

*Quo pacto  
excipulis  
capimur  
in fluvio.*

Arboreis hinc inde comis, seu vimine denso,  
In medio geminas attoiles flumine sepes,  
Quæ se inter spatio distent majore supernè,  
At stricto inferius coëant mucrone, ubi textu  
Compactam tenui excipulam, nassamve locabis:  
Nam cum devexo descendit fluminis alveo  
Anguillæ, pleno replebunt agmine cassem.  
Non tamen id te prætereat, purissima longo  
Principio turbanda tibi sunt flumina conto.  
Nil puris piscamur aquis: dant turbida prædam  
Flumina. Sed, Cæli veniat quo sydere felix

*Quo tempo-  
re uberior  
provenitur.*

Expediam, captura. Cavis da flumina nassis,  
Attolluntur aquis cum Pleiades Atlantæ:  
Aut cum se vitreo redeunt es amne reconduunt:  
Nam tunc cæruleo turbato è gurgite limo,  
Insincerus aquis decurrit in æquora rivus.

*Autumno  
Trutta fau-  
rificant.*

At quoniam celerem salsa de Doride cymbam  
Egimus, & dulces fluviorum currimus undas,  
Non te, Trutta, sinam rivis impune vagantem.  
Autumno, molles dum pressat vinitor uvas,  
Mitiaque agrestes deerpunt poma coloni,  
Cumque freques captura; vado suevere sonanti  
Exiguas aperite scrobes, quibus humida ponunt  
Pignora, dum radio fulget Lucina benigno.

*Et qua tunc  
arte per-  
quirantur.*

His igitur scrobibus tenera cum prole latentes  
Fulgentem referens tædam, sub nocte profunda  
Aggredere: autum stupefactæ lumine Truttæ  
Immotæ caveis hærebunt. tu citus arma  
Expedites, stolidasque neci da plurimus. At cum  
Sese jam dubiæ rupere crepuscula lucis,

*Ut mani-  
bus à Eri-  
zannis ca-  
pianur.*

Ales & invitat cantu cristarus Eoum,  
Dite domum præda venies. Divisa Britanni,  
Qui trans Oceanum, gelidoque locata sub Axe  
Regna tenent, manibus Truttam de flumine carpunt,  
Dum se flumineæ condunt radicibus alni,  
Aut virides inter salices, cannasque palustres.  
Paulatim digitis piscator molliter alvum  
Destricat, & sensim palpando repit in ipsas  
Cæruleas branchas, subitusque apprehendit: & illa  
Blanditiis decepta viro fit præda Britanno.

Præ-



Præterea miro muscæ capiuntur amore  
 Pellectæ radiis, & verficoloribus alis:  
 Idcirco per summa volantes flumina muscas  
 Venari Truttis amor est: quas vescier auro  
 Interdum perhibent, roseumque inhiare colorem:  
 At quia puniceï pariter cum luce rubores  
 Dispercunt, cassas oderunt lumine muscas,  
 Idcirco rosæa muscas affingere lana  
 Proderit, & virides gallorum adnectere plumas,  
 Aut pictas auro paleas, seu lucida Serum  
 Vellera, & efficta ferrum celare volucris:  
 Nam sic mentita captabis imagine Truttas:  
 Et viridem lato capies Semptembre Thymallum;  
 Nanque etiam muscas perhibetur amare Thymallus.

*Muscæ a-  
 mant, Ges-  
 nerus.*

*Auro etiã  
 vescuntur.*

*Conficta  
 falluntur  
 musca.*

*Ut Thy-  
 mallus -  
 Gesnerus.*

Non secus Austrini currunt qui cærule Nerei,  
 Ingentes fallunt Amias, quæ Doridos Afræ  
 Regna secant alio Mundi projecta sub axe.  
 Illis, ut perhibent, amor unus, & una cupido  
 Summa per Oceani volitantes æquora 1 pisces  
 (Qui cygnos alis, cygnos candore laceffunt:  
 Et, si vocales potuissent vincere cygnos)  
 Venari, captisque frui felicibus escis.  
 Tales idcirco fingunt mentita volucres  
 Corpora, quæ puppi ferro defixa reducco  
 Appendunt. Amiæ conspectis ilicet ollis  
 Accurrunt alacres, captæque cupidine prædæ  
 Veloces ipsas resequuntur ad usque carinas:  
 Ficta ubi pennati capiuntur imagine piscis.  
 Sed neque, 2 SANBLASIDE, silcã felicia 3 Crathis

*Tachardus  
 in itinere  
 Indico.*

G 3

Do-

1 Pisces ex Hirundinum genere, qui anseris magnitudine, cygnis rostro, & colore similes circa ultimum Africæ promontorium; nobis Acronoton, vulgò *Eone Spei* dictum frequentes sunt, ut ad Brasiliæ litora; imò & in toto Atlantico mari. 2 Ignatius Sanbladius, & generis splendore, & literis conspicuus: nec non & Latinis, Hetruscis, Patriisque Musis facundus. ab hoc Vates Consentis primùm, cum superior humanis literis juventutem erudiret, mox Neapoli severioribus additus studiis, summis beneficiis affectus est: idcirco hoc grati animi monumentum, quodcunque sit, posteritati ponit. 3 Calabriae fluvius Cōsentiam interficiens, cujus aqua loti flavent capilli: cujus & uberrimæ Truttæ sunt.

*Ad Sa-  
blasidem a-  
postrophe.*

Dona tui, Truttas: nec qua piscator amicam  
Arte tibi Calaber prædam petit. At mihi carmen  
Suffice, nanque potes: felicior indita quando  
Vena tibi, nostrisque volens da rebus honorem:  
Dum te Crathis habet regnata ad flumina, & ipsæ  
Inter læta tibi properant convivia Truttæ.

*Crathis  
Trutta.*

Auratis distincta notis, & viscere dives  
Trutta secat flavo currentem flumine Crathin:  
Punicæis & aquis, & fulvo pascitur auro.  
Idcirco vivo per tergora fulgurat auro,  
Sudaque cæruleo radiat velut æthra colore.

*Villas pi-  
scentur Ca-  
labri.*

Hanc ut Piscator comprehendat, flumine vallum  
Excitat è saxis, ripamque extendit ad ipsam,  
Qua fluit obliquus, retròque revertitur amnis.  
Hic placido velut in portu tranquillior unda  
Sternitur: inque illum fluvio obluctata recurrit

*Utque cal-  
ce stupefa-  
cta capian-  
tur.*

Trutta finum, ferro quam mox Piscator acuto  
Sive manu, linove capit. Per flumina calcem  
Dispergunt alii: qua Truttæ protinus ictæ  
Dispercunt, cassæque supernant lumine rivos.  
Calcis odor Truttis gravis est. Sed amica canentem  
Vulturni ad virides compellant flumina ripas,  
Et pingues Capuzæ campi, collesque Typhatæ,  
(Partheniis quondam statio dilecta Camænis)

*Quo tem-  
pore quove  
modo Ala-  
sa capian-  
tur.*

Et Majo captare graves hortantur Alaufas.  
Has, puer, excipula primum venare capaci,  
Aut nassa. Textis sed si comprehendere lino  
Mens avet, expediam paucis, artemque, modumque.

*Machine  
descriptio.*

Principio geminos, curvosque adnecte tigillos,  
Inque crucem compone, quibus sit desuper alter  
Adnexus nodo medius, truncoque revinctus  
Tranverso: in longum, qui parte extenditur illa,  
Quæ ripa firmatur, aquis quæ mergitur udis,  
Illum fune liga. & paxillum fige virenti  
Margine, vel medio surgit quæ flumine vallum:  
Machine cui nexu sociatur mobilis arcto.  
Quatuor extremis tignorùm adstringe quadratum  
Mox linum, puer, & gemino duo cornua fune  
Ultima devinci: paloque crepidine fixo,  
Extensos religa funes, qui retia firment.

Et-

Ergo ubi piscatum fluvio descendis, in undas  
 Retia mitte, puer, juxtaque in lintre sedebis,  
 Aggere vel medio valli, lorumque teneto,  
 Machina quo trahitur, & quo demittitur alveo.  
 Cumque gravem prædâ cassem deprendis, in altum  
 Attolle, & captam textu citus arripe Thrissam,  
 Demittes iterum mox retia. Verùm age fluctus  
 Æquoreos prono rursus torrente petamus:  
 Tempus & Anthieon mirandos dicere mores,  
 Et qua fraude Cilix, celebrem qui navibus urbem  
 Corycium 1, clarique tenet 2 Sarpedonis actam,  
 Et scopulos qui lustrat odoriferos 3 Eleusæ,  
 Non uno pictos comprehendat flore natantes.

*Anthiaris  
 piscatio*

Principio vivis resonantia saxa cavernis,  
 Et latebra observat piscator scissa frequenti,  
 Quæ circum læti cursu Callichthides errant:  
 Huc agit ille ratem de litore: & orbibus altum  
 Fagineis ciet illisa de puppe fragorem:

*Ut dociles  
 primis red-  
 dantur.*

Quo pisces gaudent strepitu: subitque recurrunt,  
 Et circum turba lintrem glomerantur ovanti.  
 Haud mora, vit Percas, nigrosve in cærula Corvos,  
 Pabula grata, jactis, primùmque his fallitur hospes  
 Muneribus: vorat ille dolosam dentibus escam,  
 Et decaptori risu blanditur amico.  
 Id facit assiduè veniens ad saxa: neque unquam  
 Intermittit opus, nec pabula cessat aquosis  
 Hospitibus præbere. citi qui gurgite ab alto  
 Accurrunt, noto veluti rectore vocati.  
 Non scopulos quærunt alios, non pascuæ; sedem  
 His certam fixere locis: velut inter ovile  
 Hyberno clausæ stabulantur tempore capræ.  
 Ergo ubi pernici prospectant abiete cymbam  
 Eminus altricem properare à litore, ponto  
 Confestim ex imo surgunt, cætuque frequenti  
 Accurrunt hilares venienti, & per vada summa  
 Nutrici applaudunt choreis, festaque corona.

G 4 Ac

1 Vulgo *Chure* dicitur etiam Corycus, urbs Ciliciz, quæ barbaris dicitur *Caramania*, patria Oppiani. 2 Pionontorium Ciliciz propè ostia Calycadut. 3 Insula contra Corycum quæ & *Eleusa*. vulgo *Cereu*.

Ac dulcem veluti pullis implumbis escam  
 Garrula cūm Zephyri, & p̄nuncia Veris hirundo  
 Devec̄tat, nido confurgunt ilicet olli,  
 Atque leves fundunt voces, plausuque parentem  
 Exipiunt, rostroque petunt de divite p̄adam.  
 Haud secus in media faciunt Callichthides unda,  
 Cūm properat piscator, opimaque fercula vec̄tat.  
 Hic manibus mulcet blandus, palpatque natantes,  
 Et docet oblati animos mitescere donis.  
 Et parent illi faciles, & iussa capeſſunt:  
 Obſequioſa duci velut agmina quaque jubebit  
 Vertere ſe, celeri certabunt ire natatu.  
 Hos ille in puppim contendere p̄cipit: illos  
 In proram: reſſuiſque alios ſuccedere ſaxis:  
 Ante ſed hos cymbam conſiſtere: Protinus omnes  
 Aſpicias, veluti pueros, dum membra palæſtris  
 Exercent, pronos noto parere magiſtro.  
 Aſt ubi blanditiis docti auſcultare vocantem,  
 Atque ætate graves, niveoque abdomine læti:  
 Tempus & impenſum quæſtu relevare laborem:  
 In fluctus ſaxum vit projicit: ilicet omnes  
 Ore petunt prono fundum, p̄adamque requirunt:  
 Nam p̄adam de more putant tūm deſuper unum  
 Quem grandem puer, & felicem ſumine vidit,  
 Stare jubet, Percaque latentem porrigit hamum.  
 Anthias in noxam ruet ocyor: ille ſed uncum  
 Extrahit, & p̄ada gaudet feſtivus adepta.  
 Sic reliquis potietur, erit ſi callidus aſtu,  
 Et citus educet medio de gurgite ferrum:  
 Nam ſi forte dolum deprenderit unus, ibi omnes  
 Effugiunt, ſcopuloſque odere, & pabula, & undas,  
 Et fraudem piſcantis. Age te bella docebo,  
 Grata magis ſi bella, brevemque impendere curam  
 P̄æſtiterit. Gemino ferrum mucrone rigenti  
 Expedies, validoque ligabis vimine ferrum.  
 Inque lupum medio pinguem mucrone locato.  
 Qui tibi vivus erit: fuerit ſi mortuus, ori  
 Suppones plumbi cubum (cognomine dicunt  
 Delphinum) ſic ille caput demittere pronum,  
 Et ſimilis vivo poterit nutare per undas,

*Alter pi-  
 ſcandi mo-  
 dus.*

His

His actis, ubi conspecta de gurgite præda,  
 Anthiæ ab Oceano consurrexere frequentes,  
 Tunc socios celerare fugam, sensimque reduces  
 Ipse manu funem: confestim ponè sequentur  
 Spe prædæ, & celeri sese prævertere cursu  
 Certabunt squamosa manus: velut æquore aperto  
 Festinant læti juvenes contingere metam.  
 Quem nitida ardentem squama, & pinguedine latum  
 In ventrem, puer, aspicias, comprende dolosis  
 Artibus, hamaram demittens fluctibus escam.  
 Ille avido bibet ore necem: sed protinus hamo  
 Ut se discerpi sentit miser, æquore toto  
 Indignatus agit magno stridore procellam:  
 Et furit, & bifida discindit marmora cauda:  
 Nititur inque imum descendere, vique rudentem  
 Scindere: tum socios jubeas incumbere remis:  
 Et quamvis stridat tibi funis, & undique sanguis  
 Distillet, ne cede, trahitque è gurgite quantum  
 Vi piscis, contra è puppi tu nitere tantum.  
 Robore quò tandem domito, captivus ab unda  
 Concedat tibi præda, Sed ubere dives odoro,  
 Insignisque notis Aurata, & concolor auro  
 Piscantem vocat, & trepidis se subiicit alis.  
 Ergo pares ubi Libra diem partitur in horas,  
 Quotque dedit Phæbo, totidem dat habere sorori:  
 Et juxta sequitur splendenti Scorpius astro:  
 Cumque æstu tumet æquor, & altius invehit undam,  
 Et simul aggestæ cumulos devehat arenæ,  
 Paxillos, veluti ramos, in litore fige:  
 Frondibus & lætis illos redimire memento.  
 His actis, discede. Novus cum defluet æstus,  
 Imbelles feret Auratas, stagnisque remitter.  
 Hinc verò ut fugit, alternumque reciprocatur æquor,  
 Deserit in sicco nudatos litore palos:  
 Et refluens rauco frondes agit unda susurto.  
 Territa quo medijs hærens Aurata lacunis,  
 Non audet patrio rursus se reddere ponto.  
 Tu trepidas invade, puer. his artibus omne  
 Squamigerum genus Arctoïis venantur in oris,

*Aurata  
piscatio.*

*Quo tempo-  
re fit.*

*Qua arte.*

Qua

Quà crebro fugiens cum Nereos unda refedit,  
Piscator nudos miratur litore pisces.

*Passeris as-  
tus.*

Sed quo decipitur, quo se defendit & astu  
Cæruleus contra Passer, non carmine multo  
Expeditam: primò piscantem ut sentit, in imum  
Gurgitis immertus descendit, & hæret arenis.  
(Terreus ipse color favet astu) & verberè caudæ,  
Ne videatur, aquas perturbat: acerbaque vitat  
Fata, puer tali contra sed decipit astu:

*Qua fran-  
de capiatur*

Qua Tellus demissa ruentes æquoris undas  
Accipit, & molli circum stipatur arena,  
Ille hic, raucisonè cum jam cessere procellæ,  
Detumuitque vadum, pressis vestigia palmis  
Imprimat, & foveas Telluri plurimus udæ  
Altius insculpit. Vicino à gurgite Passer  
Ut venit, foveis sese abdit: tutus & atrum  
Attendet limum, roremque epotat amarum:  
Mox inter somnum diffusus carpit arenam.  
Tum vigil è specula puer advolat, & tenet illum.

Non aliter 1 Psephas, & duris 2 aspera saxis,  
Quæque rigent densis Raiarum 3 corpora spinis,  
Visurosque ducum captant convivia Rhombos:  
Plurima, quos Tethys dat Belgica, datque bicornis  
Rhenus in Oceanum præceps quæ labitur, & quæ  
Reddit aquas, urgetque ferox vicinia scaldis.

*Loliginis  
piscatio.*

Sed qua Loligo capiatur, fune sagittam  
Contorto facies, cui crebros desuper uncus  
Inter se adverso neces mucrone propinquos:  
Pendentisque æris celabis Iulide morsus.  
Inde mari virgam suspende, voracior escam  
Dum capiet Loligo, dolo capietur, acerbumque  
Haud equidem fugiet, quamvis sit callida, Fatum.

*Eiusdem al-  
tera.*

Alter, oliviferas didici quem nuper ad oras,  
Optata dum pace fruor, Phæboque favente,

Pi-

1 Alij Rhombum, alij Passerem ipsum faciunt. erit fortasse ex illorum genere: nisi Psetta genus sit ad utrumque; nam ambo sub Psetta nomine sæpe veniunt: & Græci nostri temporis Rhombum Psettam vocant. 2 Rais clavata, nostris *Rais petrosa*. 3 Altera species spinosa *Rais spinosa*.

Piscanti faciles veniunt ad carmina Musæ,  
 En, puer, astus, erit multo qui fertilis usu.  
 Populeum, parvumque prius compone cylindrum,  
 Subter & incurvis munito plurimus uncis:  
 Anchora ceu radiis circum stipatur: & illum  
 Longior accipiat non uno linea nodo.  
 Hinc ubi piscatum pelago procedis, agrestis  
 Unge bovis multo tornatum abdomine lignum.  
 Nanque illecta ruet Loligo, i&uque cruento  
 Pulsa cadet, radios dum propter ludit acutos.

Hic etiam, dum saxa frequens muscosa pererro  
 Ingenuos inter juvenes, & frigora capto,  
 Edidici, Sargos nautæ qua fraude requirant,  
 Queis nostri è x strictis fecerunt nomina labtis.  
 Et labor est etiam jucundus, ut omnis in illo  
 Exercere queat sese vir nobilis, orti  
 Gaudia dum ruri liber genialia carpit.  
 Non longam puer umbroso de vertice virgam  
 Cædit, & alterutrum ferro caput armat adunco.  
 Atque Aphyæ tegit æra. quibus sic rite paratis,  
 Undofos quærit scopulos, latebrosoque saxa,  
 Quæ Sargi coluere: foramina perque canora  
 Callidus intrudit virgam: quam Sargus hianti  
 Dum citus ore petit, vivo de pumice currens  
 Transfixus ferro capitur. lætatur & ille  
 Se multum facili quæstum fecisse labore.

Si, piscator, Acus affectas fallere filo  
 Intestina bovum pro ferro mollia vinci:  
 Extæ Sudes quoniam perhibentur amare, sed illis  
 Ut dentes avidæ morfu fixere tenaci,  
 Haud facillè remove queunt, cum protinus alto  
 Piscator tremulam tollit de gurgite cannam.  
 Palladis ad rupes hæc fallunt arte frequentes,  
 Qui Lubræ montana tenent, Pollique recessus,  
 Et qui Teleboÿm pi&ctis vicina phæfelis  
 Salsa secant: generatur Acus quæ plurima ponto  
 Grandis, odora, uber, & viscere dives opimo.

*Et Sargorū  
 alia.*

*Ut Acus  
 bovum extæ  
 nis capien-  
 tur.*

In-

x Altera Sargorum species, quos nostri à Stri&is labris appellant  
 Saraco, & Sargo stretto.

Interdum tantæ molis crevere 1 Belonz  
 (Usque adeo sæcundus aquis Neptunus) ut ipsos  
*Acus mi-* In Gladios mucrone ruant, eademque minentur.  
*ra magni-* Dum Surrentinis felicibus otia campis  
*studinis ca-* Læta traho, Cæloque fruor simul æger aprico:  
*pta.* Mane levi cymba cum litora propter amœna  
 Ducentes socio ducentia retia pisces,  
 Dyçia post filum Nereo venientia mitto:  
 Si fors Mænarum Dentex correptus amore,  
 Aut Synagris, Sargulve hamis occurreret uncis.  
 Vix dederam: medio trepidare in gurgite suber  
 Aspicio: feror ex templo, restimque reduco.  
 Principio longum paulatim surgere truncum:  
 (Nanque videbatur rostrum ceu truncus) & illum  
 Conviciis dum seçtor, aquæ fremere undique circum  
 Incipiunt, restimque trahi: tum plurimus ad me  
 Vi retraho, fociumque voco: citus ille tridentem  
 Acer agit venator: Acus transfigitur ingens.  
 Quæ ni tunc subito cecidisset faucia pulsu,  
 Vertissetve mari lintrem, funemve secasset.

*Quo tempo-*  
*re Acus, &*  
*Loligo ca-*  
*piantur.*

Sit quamvis totum semper laudanda per annum  
 Mollis Acus, tamen Autumno dulcissima, quando  
 Venatus nivæ pariter Loliginis uber.  
 Tempore quo patriam non quisquam durus in Urbem  
 Me revocet, clamosa filet dum Porticus, & dum  
 Annua secessus Musæ solennia poscunt.  
 Est nitidæ queis urbis amor, gaudentque tumultu,  
 Tecta colant augusta, foroque licentius errent:  
 Et bibulas vanis pascant rumoribus aures.  
 Quique vaporiferi per rura ambusta Vesuvi  
 Degere amat, gestitque iocis, turbaque clientum,  
 Sosias 2 hunc habeat nigris circumstita lucis,  
 Et cætus hilares sociorum, & iurgia 3 Pontis.

Me

1 Eadem quæ Acus Græca nomenclatura. 2 Rus Colleg. Neap. S. I. cui à Divo Sosio nomen, ad Vesuvii radices, quæ Nolam spectat situm: saluberrimi quidem cæli, folique feracissimi, ex quo generosissima vina, omnisque generis fructus uberrimi proveniunt, in amœnus tamen, in elegans, atque inter densissimas populorum umbras, quibus vites maritantur, pene consepultus. quia verò a turbis femorus, vic-tuq; cõparando opportunus annuis vacationibus delectus. 3 Celeberrimus Sosiani pons, ex quo in hortum descensus patet. in huc socij confabulatù cõveniunt, eruditissq; jocis, jurgiisq; hilariores indulgent.



Me Sanctum Elysiū Lubræ, me collis aprici  
 Prospectus, tepidæque juvent in vallibus umbræ:  
 Me scopuli, argutumque sonant quæ litora fluat,  
 Udaque muscosis delectent rupibus antra.  
 Hic pax, hic niveæ inculpata licentia vitæ,  
 Et raros inter juvenes sincera voluptas.  
 Nam me non animi spes vanæ, & inania vota,  
 Nec favor intâbilis vulgi, plaususque theatri,  
 Nec fœda ambitio movet, urbanique tumultus.  
 Gaudia pacis amo liberrimus. o! ubi, qui me,  
 Lubra, tuum nemus, & felices sistat ad undas  
 Regna 1 inter Sirenum, & fortunata Minervæ  
 Culmina; dives ubi fastu Natura superbo.  
 Luxuriat, centumque simul miracula jactat.  
 Illa hic omnigenis depingit floribus arva,  
 Aeternis colles oleis investit; & agros  
 Vitibus, & circum pomis flaventibus ornat.  
 Hic nitidis lætas fœcundat piscibus undas:  
 Litora prætexit scopulis, scopulosque virenti  
 Gramine: & umbrosas in rupes excavat antra.  
 Hic vitreis, tiguisque recurrit fontibus: atque hic  
 Perpetuò Cælum Zephyris vitalibus afflat.

Salve, o læta parens pacis, mollissima Tellus,  
 Deliciumque animi, & custos secunda quietis,  
 Solaque Pieris domus opportuna Camœnis.  
 Te, dum vitali gaudebit spiritus aura,  
 Sancta colam: Tellus Autumnno divite, colles  
 Cum gravibus læti ramis umbracula texunt:  
 Cum placidi rident fluctus, & leniter auris  
 Aspirant Zephyri, rauci post longa Lycæi  
 Jurgia, donatus Musis, genioque paterno.  
 Lubra meæ semper Musæ, pacisque sequestra.

O Fortunati, quibus accidit illa voluptas!  
 Nam seu per colles errent, & vertice ab alto  
 Omnem regifico spectent Cratera theatro:  
 Seu riguas inter valles, & opaca vireta  
 Aucupio fallant volucres: aut fronde residant

*Masse ad  
 delubrum  
 lani.*

*Ubi sibi va-  
 ter otium  
 optat.*

In

1 Surrentum quod olim Sirenas tenuisse ferunt, unde & nomen accepit.

110 HALIEVTICORVM

In viridi, fontes juxta, lapsusque canoros  
 Aure bibant: vel manè citi per compita cursive  
 Hortorum, & cujus quærant sint poma saporis:  
 Sive coronatis perlustrent litora lembis,  
 Atque leves captent Zephyros: vel piscibus uda  
 Insidias de caute struant fallacibus escis:  
 Quæ non concipient felici gaudia mente.

Sed prius exhaustos cursu quam rupis ad umbram  
 Ire canes, paulumque sinam requiescere, aprici  
 Miseni iuvat in saltus penetrare repostos,  
 Dives ubi stat præda cavis conclusa lacunis.  
 At mihi tu dexter tanti sub fine laboris

*Ad Theo-  
 dorum A-  
 postropha.*

O ad sis 1, THEODORE, novæque in carmina vires  
 Suffice: piscatum si quondam venimus ambo:

Atque volens nostro favit Fortuna labori,  
 Venarumque Dez cessere Lucrinides amplum.  
 Hinc alta sub rupe, vagique ad murmura fluctus,  
 Et virides juxta scopulos convivium læti

*Elegantia  
 prandii de-  
 scripso.*

Struximus, A&iacis non aspernanda Camænis.  
 Prima Palatini venire ad fercula Mulli  
 Purpureo dices villo: post inde marinæ  
 Perdices, Rhombique locum tenere secundum:  
 Flavus odorato medium sibi jure poposcit  
 Scorpium, & caules immixti jure tenelli.

Hinc geminus Cerere incoctatus Mugil opima,  
 Et pinguis succo, cannaque insignis odora  
 Expectatus adit. postremaque venit ab igne,  
 Igne ardens patrio, & nativo vivida fuco

Aurata, & mentas est jussa præire secundas.  
 Quas & odorifero Solenes jure madentes,  
 Ostreaque, & roseo prægnantes ubere Echini,  
 Et Balani fecere: quibus dant ultima finem  
 Ammericum latè spumantia pocula nectar:

Atque peregrino mens ægra levatur odore.  
 Nulla mihi, Musisque dies celebratio illa  
 Illuxit: nec erit posthac felicior ulla.

Intercæ, quoniam labor instat, amica canenti  
 Nominis aura tui, jussisque adhibilet orsis;

Clau-

1 Theodorus Comes Barbovius vir factus, & genere illustri sum-  
 musque militis Præfectus-lege Piscatoria nostra Ecloga XI.

Claudere opus cœprum, quo Vates possit oliva.

Haurit inoffensos ubi stricta per ostia fluctus  
 Lucrinus 1, Misene, tuos, stagnisque remittit,  
 Piscator longos defigat gurgite palos,  
 Desuper & secto consternat robore pontem,  
 Hinc ubi tempestas piscatu prima refulsit  
 Opportuna (Et erit tibi tunc, cùm sydere ab alto  
 Trojanus retrò juvenis cratera refuso  
 Decedit, Venerique locum dat habere secundum)  
 Ingreditur cùm turba lacus squamosa Lucrini:  
 Fœcundumque inter limum, cannasque palustres  
 Luxuriat, pinguetque udum depasta viretum.  
 Ut primum cœtu fluctus subiere frequenti,  
 Defixos inter palos è vimine sepes  
 Tum, puer, aggesto facies, aditumque recludes.  
 Nam mox in patrium cùm pleno examine pontum  
 Incipient properare, tibi piscosa replebunt  
 Retia, vel nassas, si tu piscabere nassis.  
 Exin pande fores dissuta sepe, cohortes  
 Rursus ut æquoreæ Lucrini in stagna recurrant.  
 Utque iterum petiere, lacu nodosa recluso  
 Si solves tua lina, puer, spolia ampla reduces.

*Ut in lu-  
crino pisces  
comprehen-  
dantur.*

Non secus Armeniæ qui 2 stagna sonantia circum  
 Rura tenent, pisces vicino è flumine carpunt.  
 Montana de rupe fluit pellucidus 3 amnis,  
 Qui longo anfractu valles emensus opacas,  
 Immixtus liquida confunditur 4 Argidos unda.  
 In summis cum Vere jugis nix solvitur, & cùm  
 Dives aqua, magnoque celer ruit agmine rivus,  
 Argi, ruz relinquunt tum 5 Chalcides antra paludis,  
 (Chalcidibus forma similes perhibentur, & ostro,  
 Medorum qui stagna secant ditissima pisces)

*Et ut in  
Argide pa-  
ludis.*

Den-

1 Campaniæ lacus, in quem fluvius Puteolanus per Miseni portum  
 insuit, maximè piscosus, nostri quoniam inerti aqua silet *Mare morto*  
 appellant. 2 Armeniæ, Mediæque palus Argis dicta, Straboni Man-  
 tiana: nunc barbaris *Lago di Van* ab urbe, quam alluit. 3 *Bedmaci*  
 incolis appellatur, qui in Argim se exonerat. 4 Palus modo dicta.

5 Nonnulli Trichidas, & Sardas faciunt: ex quo genere sunt, quæ  
 exsiccatæ ab Oceano Germanico devchuntur, vulgo *Sarache* dictæ,  
 his similes Mantianæ paludis pisces sunt, ut refert Tavernæsius in suis  
 itineribus.

112 HALIEUTICORUM


Densisque irrumpunt vicina in flumina turmis ;  
 Et pingui lætantur aqua, rivoque sonanti.  
 Quadraginta vagis ubi Soles cursibus errant.  
 Ut fluvium squamosa manus subit omnis, aquosi  
 Armenus extemplo rivi puer ostia claudit  
 Aggere vimineo, vel cæsa è fronde salitti,  
 Inde lacus patriæ repetentes Argidos, ipsi  
 Educunt fluvio palmis, plenoque canistro.  
 Et quamvis ingens frugis proventus aquosæ,  
 Vectigal nullum solvit gens libera, quando  
 Fas avidos quamquam vetat æs deposcere Thraces.  
 Nanque olim Odyssius cùm cogeret æra tyrannus  
 Pendere piscantes, fama est, pro piscibus angues  
 Lina venenatos turbato è fonte tulisse .  
 Scilicet indignata parens Natura tributum  
 Solvere, quæ cunctis communia fecit, in angues  
 Chalcidas ire jubet, dominosque reppendit avaros.  
 Hinc ò vos avidi vectigal discite nullum  
 Ex his extorquere, quibus jus omnibus æquum est .  
 Sed jam venatu è multo revocare Molossos  
 Tempus, & optatam descendere rupis ad umbram .

*Pisces pro  
 avaritia in  
 angues mu-  
 tati .*

F I N I S .







*H. Vincent sc.*



## HALIEUTICORUM

### LIBER V.

**N**unc age, piscosum solvamus in æquora linum  
 Euboicum juxtà litus, dum murmure leni  
 Eorū aspirant auræ, nitidaque quadriga  
 Perlustrat rediens totum Sol aureus Orbem:  
 Ipsi & spumoso venientes agmine pisces  
 Invitant: flavoque nitens de vertice crine  
 Phyllis odoratam poscit pulcherrima prædam.  
 Hic ego vos, Nymphæ Craterides, hic & apricæ  
 Vos quotquot, Di, æ, lustratis Olympidos oram,  
 Præsentem optarim, agilemque in retia; quando  
 Est opus hic vestro mihi munere; plena profundo  
 Dytiâ ut ingenti possim deducere præda.  
 Nec labor iste, Deæ, vos dedecet: ipse sub actam  
 Nudus crura tenus si jam descendit Apollo,  
 Et tetigisse manu non penitet humida lina,  
 Astrigeras nitidi currus qua fleat habenas,  
 Quaque diem, lucemque regit, quaque aurea pulsat  
 Fila lyræ, & totum mulcet concentibus Orbem.  
 Quin & Pierides, Permessi fonte relicto,  
 Idem omnes simul ardor agit versare rudentes.  
 Pro jaculis, nervoque, coruscantique phætrea:  
 Et piscuratos pro damis figere pisces.  
 Quare agite, & vitreas alacres descendite ad undas,  
 Et mecum teneris adducite lina lacertis.  
 Vestrum munus, opusque, Deæ, sit præda, marinis  
 Quam vobis Neptunus avert concedere sylvis.  
 Non uno quia capta perit gens squamea casse;  
 Plurimus idcirco labor est piscosa per alta

H

Ca.

## 114 HALIEVTICORVM

*Primus pi-  
scandi mo-  
dus Paus-  
gro.*

Cæruleas laxate plagas. Qui grandia versant  
Dyctia, quique ingens soliti tractare Panagrum,  
Hi per arenosos distendant linea tractus  
Retia, sub cæco cautes ubi nulla Profundo  
Personat, & rari frutices, algæque virescunt.  
Ergo age, litoribus primo jam fune relicto,  
Remigio petat altum, ipsaque è puppe iuventus  
Vellera torta vadis, & retia rara, sinusque  
Demittat: cursum mox circumflectat: & orbem  
Circinet, alternum solvens in marmora cornu:  
Inque sonora ferat postremum litora funem.  
Hic aciem gemino pubes partita maniplo,  
E læva, destraque valentibus humida palmis  
Lora trahat, varietque vices statione frequenti.  
At geminus vitreo madefactos rore rudentes  
Excipiat, magnumque puer componat in orbem.  
Alter at intereà piscator retia circum  
Lintre volet, saxisque frequens inclusa flagellet  
Æquora, squamosus quò grex exterritus arctum  
Carceris in gyrum descendat, & intima cassis  
Lethiferi loca cœca petat, quâ nulla potestas  
Intextos vitare dolos. cum denique litus  
Prægravido, tardoque premittit sinus ultimus orbe,  
Cornua piscantes jungant postrema plagarum:  
Et captiva alacres imponant corpora cistis.

Saxea si propter nodosum litora cassem  
Demittis, dato ne murice lina secentur,  
Litoribus procul ex ipso pontone reduces  
Squamiferum multo gravitantia pondere texta.

*Secundus  
Sagena, qua  
Pelamydes  
capiuntur.*

Insuper, ingentem laxas si, nauta, Sagenam,  
Plurima Pelamydum qua perdas agmina, custos  
Stet celsa sub rupe: citumque ut viderit agmen  
Jam petiisse sinus, imo de gurgite tolli  
Protinus in summum 1 muralia retia, longo  
Quæ fixa hastili mediant latus iuter utrumque,  
Imperet, & totum deduci ad litora corpus.  
At præpè raucisonam cum jam descendit in actam.

Nu-

---

1 Quadratum rete, quod inter duo cornua extensum pisces concludit, ne dilabatur, fulcitur longa hasta, qua hinc inde elevata, rete auollitur.



Nudus in undosum juvenis falis æquor acuto  
 Armatus conto veniat, cervice suprema  
 Cui prius implicuit canentia lina: gregemque  
 Urgeat instantem palo, quò texta subintret  
 Ultima conversus lino grex territus albo.

Si levibus mutum Jaculis (subit altera cura)  
 Aggredièrè pecus, latè dum roscidus Æther  
 Sudat, & Eoa gaudent aspergine sylvæ,  
 Expedies tua tela: greges ad pabula læta  
 Mane ruunt, gratoque fruuntur rore petulci.  
 At citus Oceano cum Sol emergit ab Indo,  
 Sparguntur diversa vagi, latèque recurrunt,  
 Sic bonus in prædam se matutinus agebat  
 Battus, Olympiacos inter non ultimus: & quem  
 Sanguine materno conjunxit Olympia Vati:  
 Fecit & insignem piscatibus, ille nepoti  
 Hæc olim recolens memini dixisse sub antro,  
 Mergillina, tuo, sacros quâ sæpe solebat  
 Synceri roseo Manes conspergere nimbo.  
 Et, puet, inquit, eris, cum creveris, alter ab illo.

*Tertius pat  
 jacula.*

At si i Verriculum tibi det, vel i Gangama quæstus:  
 Piscatoris erunt quæ pauperis armæ: profundos  
 Adverso Manes cum Sol illustrat in Orbe,  
 At foror in medio nobis nitet æmula Cælo.  
 Conjugis amplexus divelle, casisque relictis,  
 Gnatorum maiore vago circumfona Nerco  
 Litora confociatus adi, pennisque fugacem  
 Piscatum impelles lintrem, medios ubi fluctus  
 Cymba tenet, tum lora manu cita contrahe: pontoque  
 Actutum ex ipsa mittatur Gangama puppi:  
 Vellus & in puppi quo post ducenda revolve.  
 Inde ratem tonsis iterum pernicibus urge.  
 Nanque retrò obrepens undosa per æquora ponti  
 Erato falx dente metet sata Doridos arua,  
 Squamosaque sinum detonsa è messe replebit.  
 Ac veluti variz non uno è semine fruges

*Quartus  
 Verriculo,  
 seu Gan-  
 gama.*

H 2.

Qua

1 Constat hujusmodi instrumentum semicirculo ligneo, vel ferreo, cujus acies interior acuta instar falcis. huic alter semicirculus re-ctus insitit; utriusque verò rete in coniformam adligatum est. similis machina describitur lib. VIII. cum de ostreis,

Quà surgunt, vatioque nitent de caudice flores,  
 Mixtim falce secat violas, & lilia messor,  
 Atque crocum, atque apiū, & ferrugineos hyacinthos.  
 Non aliter Percas, & lulas, atque rubentes  
 Demeter ore tibi ferrato Gangama Mullos,  
 Castaneasque 1, Onycesque, & mixtis ostrea Pinnis.

*Quo Vatis  
 se puer e-  
 norcebat.*

Cum puer insana procul urbe, grāvique Lycæo  
 Otia materna captabam lentus in acta:  
 Solus & Atiadas, Phœbo comitante, sorores,  
 Et vitam teneras Acheloidas inter agebam,  
 Nostris sæpe ratis sudantibus acta lacertis  
 Innubi sub nocte, marique immissa profundo  
 Gangama, quæ plenas semper de gurgite prædas,  
 Ceu præfaga, tulit Vati celebranda futuro.

Ditia multigenæ sed postquam Teihyos arua  
 Orbe recurvato tenuaram plurimus, & jam  
 Lutea tollebat madidos Aurora capillos,  
 Lætior Atiacis referebam dona Camœnis,  
 Et tibi, Phœbe, pater, quem munere divitis undæ  
 Vel tunc posse capi didici: captumque per æquor  
 Ire plagis, calamoque vagas inquirere prædas.

*Quintus pi-  
 scandi mo-  
 dus pata-  
 vili retibus*

Perge, puer, tibi non postremam impendere curam  
 Convenit, ut 2 stabili liquidos 2 indagine saltus  
 Obvalles: multi pereunt hac fraude natantes.

Ergo mari cassem per longum extende, patentes  
 Queis hiscant maculæ, medioque in gurgite linque,  
 Cum ferrugineus depingit Vesper Olympum,  
 Et venti posuere. ruent qui nocte sub alta  
 Per tranquilla plagis occurrent æquora pisces:  
 Et maculis intercepti, tua præda, manebunt:  
 Nimirum, roseo cum purpurat æthra colore,  
 Si vitreos Nerei saltus, cassemque revises.

At verò ut multum penset captura laborem  
 Largior, in virides demittes retia sylvas,  
 Herbosos juxta scopulos, & sicubi muscus  
 Subter olet, fruticesque, & glaucis frondibus æga:  
 Nanque illuc crebri venient ad pascua pisces.

Ign-

1 Echino rum species exiguæ magnitudinis, qui & colore, & spinis  
 castaneis persimiles sunt, atque ob id nostri *Castagnole* indigitant,  
 2 Nostris hoc retis genus appellant *Retze di posta*.

Ignarique ruent in lina stataria: primo  
 Quos tu mane, puer, captos comprende. Sed artem  
 Accipe, disposito qua per discrimina crebro  
 Linea 1 fallendis armatur piscibus hamo.  
 Ergo ubi prælongo radium de fune parasti,  
 Plurimaque è radio pendentia fila per æqua  
 Nexeris intervalla, gravesque appenderis uncoss;  
 Suberibus multis illum munire nemento.  
 Hinc cum venatum petis æquor, acura dolosis  
 Æra escis absconde, puer, radiumque resolve.  
 Hinc juxta observans venientem ad pabula gentem,  
 Cum leve per summas trepidare frequentius undas  
 Aspicias suber, citus advola: & æquore ab alto  
 Duc radium synodonte gravem, mullove rubentl.

*Panangyrus*  
*us.*

Interdum, ex acta socij dum texta reducunt,  
 Ipse cito vectus post ultima retia, lintre  
 Piscibus interea sic insidiaberis unco.  
 Hesperos, Aphyasque, aut duro Mænidas hamo  
 Fige, marique illum revoluto 2 glomere, mitte.  
 Nam qui spe prædæ pisces post lina sequuntur,  
 Lætus inescabis. Surrenti nuper ad oras,  
 Inque sinu 3, Colomeli, tuo, dum grata labori  
 Otia cum nostro carpebam plurimus Antho,  
 Artibus his nitidum Synodonta, Orphumque fefelli.  
 Ast illud tibi præcipio, concussa furentis  
 Linea fortè feræ ne vi rumpatur, ab imo  
 Gurgite, cum properat, longo citus apprime cono  
 Multa reluctantem. Super ò qui Nerea piscis  
 Exilit, & tremula ludit festivus in unda?  
 Nosco equidem sacri speciem, ingeniumque natantis.  
 Quare, age, veloci curramus Tethya lembo,  
 Et præcedentem cursu Delphina sequamur:  
 Plebeias nam tempus Acus comprehendere textu.  
 Huc, ò 4 PHILAMARINE, decus sublime tuorum,

*Et glomeris*

*Philamari*  
*ni & logii.*

H 3 Et

1 Hoc instrumentum nostrates vocant corrupto græco vocabulo *Palanghis*, quasi Panangyron; quia undique hamis munitur. 2 Hoc instrumentum *la trahina* appellant, fortasse a trahendo. 3 Vide quæ fufius libro IX. 4 FRANCISCUS PHILAMARINUS, & genere, & doctrina nobilis, morumque gravitate conspicuus, Massam ad delubrum, & valetudinis, & liberioris vitæ studio per ætatem secedere solitus.

Et jubar, & laus ò nostri memorabilis ævi,  
 Piscatum primos inter surgentis Eoi  
 Deciduos propera tores, aurasque salubres,  
 Dum te Lubra suis in saltibus, & vada propter  
 Parthenopes procul urbe tenet, curisque, foroque  
 Expertem, studioque vacas ignobilis ori.  
 Eia adûs, prisci seu temporis acta revolvis,  
 Seu nostrum veteri confers doctissimus ævum:  
 Quandoquidem lusus hic est te dignus: & ipsa  
 En placidos sternit tibi Doris Olympia fluctus.  
 Mitis ubi flavo subriserit uva colore

*Mira Acus  
 piscatio da  
 ce Delphi-  
 no.*

Autumnum sub Pampineum, òlesque benignos,  
 (Nanque uvis miscentur Acus; gratissimus ollis  
 Ut sapor, & lætus veniat pinguedine succus)  
 Cum primis conjux Tithoni lutea bigis  
 Surgit, & ambrosium diffundit ab æthere rorem,  
 Corripere alta juvat, longisque insistere remis,  
 Quà saliens Delphinus iter præmonstrat: & illam  
 Cura sequi semper tibi sit, quacunque præibit:  
 Sive per Hesperium Mundi larus, aut per Eoum  
 Naviget, inque Notum, gelidamve Lycaonis Ursam.  
 Nanque acies multas, stipatasque agmen in unum  
 Retibus immittet. Ruit ille cupidine prædæ,  
 Et celeres sectatur Acus. hæc protinus uno

*Delphinus  
 Acus inse-  
 ctatur: Es  
 us hæc se  
 meantur.*

Denfantur cætu trepidæ formidine monstris  
 Ingentemque globum incurvant, seseque cœntur,  
 E rostro radios tendentes undique acutos.  
 Ille volat jaculo velocior, & ferus agmen  
 Circuit ore fremens, stimuloque impulsus edaci,  
 Quaquà adit, explorat vallum, via si qua pateat,  
 Quæ citus irrumpat, victorque examina perdat.  
 Castra velur circum confertus milite multo  
 Dux ruit ore ferox, ferroque minacior ipso,  
 Si quæ porta patens incustodita manipulis  
 Spem pugnæ, & palmæ pariter venientibus offert.  
 At magis agglomerantur Acus, stipantque vicissim  
 Ordinibus sese nexis. cœu monte supremo  
 Cum lupo impactus percurfar ovilia, densò  
 Agmine stipantur trepidis cum matribus hædi.

Tu

Tu verò, piscator Acus cum videris omnes  
 Collectas, citus è cymba tua retia laxa :  
 Quæ bini teneant è lintre: & nudus ab alto  
 Sustinet puer unus, & alter in æquore ludat  
 Cùm Delphine puer, verbisque appellet amicis.  
 Hinc ubi rara mari solvisti retia, & omnem  
 Densatam aspicias plebem, blandissimus ore  
 Dic: Delphine, foras: subito, mirabile visu,  
 Transiliet cassèm Delphin parere paratus  
 Imperio pueri, & prædam concedet habendam.  
 Scilicet humano gaudet mitescere cultu.  
 Dyctia, piscator, medio tum plena profundo  
 Educes, multo venatu dives aquoso.

Non sic argento insignes, atque ubere lacte  
 Regales piscantur Acus, quas læta Pelori  
 Equora progignunt, refluo qua flumine Nereus  
 Alternat cursum, & lunaribus æstuat horis.  
 Scilicet Hercules quæ surgit ad æthera vertex,  
 Velligeræque virent sylvæ quæ Cærnyos, & quæ  
 Zancleas sub nocte aperit Pharos aurea portus:  
 Nanque his, non alibi, regales fluctibus errant:  
 Inter Acus molles, & depascuntur arenas.  
 Nimirum vivo gaudent quia gurgitis æstu.  
 Lacteus est illis vigor, & cælestis origo:  
 Nam Cælo cecidisse ferunt, cum regia Iuno  
 Astra per, & nitidos mammis lac diluit orbes.  
 Pars major summo concrevit in æthere, & instar  
 Arcus per longum succinxit sydera flexum:  
 Dicitus &, in Superos est quæ via, lacteus Orbis.  
 At verò exiguas, quæ summo è vertice guttas  
 In Siculum fluxere sinum, Dea Doris opimo  
 Viscere lacteolos dedit esse per æquora pisces,  
 Quo vel cærulei gauderent munere Divi.  
 Instar Acus illis forma est, vestisque nivali  
 Insignis candore, nitetque argentea, densi  
 Cum per summa greges nant cærulea, gratior illis  
 Non equidem Divis, non & mortalibus esca est.

Ast age, concretum valeant quò ditia lacte  
 Equora captivum tibi reddere, linea textu  
 Angusto pateant, & crebris tenuia nodis:

*Delphinus  
 piscanti pa-  
 ret.*

*Regales A-  
 cus ubi na-  
 scantur.*

*Harum de-  
 scriptio.*

*Piscatio, de  
 quo retia.*

Qualia sunt Aphyas quibus intercludimus albas.  
 Nam secus effugiet piscis lunonius. imo  
 Ingentes reti silices, Rhegine, ligato:  
 Qui totum Nerei perturbent pondere fundum.  
 Nam sic ascendent, commota Doride, pisces  
 Lactei, & immenso replebunt agmine linum.

*Mirabilis  
 piscationis  
 natura.*

Mira sed est, ratio venandi: etia primo  
 Si jactu raros concludent orbe natantes:  
 Innumeros mox illa ferent scindenda secundo:  
 Nec tenuis terno veniet captura labore.  
 Id quondam Herculea memini vidisse sub acta,  
 Desinit extremis ubi collibus Itala tellus,  
 Inflexumque sinum latus efficit: atque ubi clivus  
 Ascensu surgit facili, lateque viretis  
 Confitus, & pomis, & flavo latus Iaccho:  
 Rus ubi Rhegina è Nynpha Balanitide dictum,  
 Quæ multi studiosa operis, patiensque laboris  
 Clara Philocomidæ fecit cognomina genti.  
 Huius ab illustri descendit sanguine 1 Momus:  
 Momus amicorum mihi maximus: unus & inter  
 Rheginos proceres salibusque argutus, & ore:  
 Officis que potens animum vincire merendo.  
 Hic me lactifluos venatum indagine pisces  
 Invexit lembo quondam, lætamque recepit  
 In villam, & dignis hilaravit Apolline mensis.  
 Partheniæ memores iccirco carmine Musæ,  
 Quod possunt, ventura ferent in secula Momum.

*Momus Elo-  
 gium.*

Verum Rhegino de litore rursus ad oras  
 Euboicas me saxa vocant piscosa Vesevi,  
 Et pinguem præbent Stabiarum cærule Nestem  
 Fallendum per saxa levi viridissima musco.  
 Sed qui venandi potior modus, & quibus armis,  
 Accipe. Musco surgunt quæ vertice cautes,  
 Lætus ubi Mugil flaventes demittit herbas,  
 Longa per incurvum laxabis 2 retia gyrum.

*Quovete  
 Mugiles ca-  
 piantur.*

Al-

1 Hieronymus Philocomus Patritius Rheginus carmine nobiliori dignus ob singularem in Vatem benevolentiam; quem in villam suam (Vlanidi) hospicio recepit humanissime, & per quam laute.

2 Hoc retis genus indigeant nostri *la Chinjarans*, quo ingens Cephalorum copia capitur.

Alter & exterius plexo de vimine circus  
 Circundet longo ja&um curvamine Griphum.  
 Qui multa super intertextus arundine fluctus  
 Enatet; in longum ceu zona extensa per altum.  
 Nestibus ille fugam stat conclusurus, ab ar&to  
 Carcere cum saltu salient in aperta fugaci.  
 Hinc ut paulatim constringens retia, ubi illi  
 Transiliunt, latoque occurrant protinus orbi,  
 Tum ferrum citus expedies, & funere pl&etes:  
 Aut ipsa potius fugientes arripe dextra.  
 At quoniam terno vivax saepe astra saltu,  
 Transmittitque plagas, & arundineum labyrinthum;  
 Idcirco longo cingit qui Dy&ia gyro,  
 Fultus arundinibus longis sit latior orbis.

Pr&terea multo quia Mugil callidus astu,  
 Cum venatores, intricatosque recessus  
 Aspicit, in scopulos se proripit, & tenet intus:  
 Quatenus eludat fraudem piscantis: at ipse  
 Fraudem fraude, puer, superabis, & artibus artem.  
 In duro bulbos Ciclamini marmore tunsos  
 Accipies, contoque illos pr&fige retorto  
 Vimine: vique hastam petris intrude cavatis;  
 Nam quia Mugilibus grave olet Ciclamini; opaco  
 Illicet ex antro, malegrato expulsus odore,  
 Profiliet grex totus, acerbaque texta subibit.

Non aliter per stagna, sonoraque flumina Nests,  
 Qu& l&ti ripis, & dulci Naiade gaudent,  
 Comprendes textu, vel acuta cuspide. Sunt qui  
 Dum salit interdum crebro super &quora saltu  
 Mugil, & in vitreo festivus gurgite ludis,  
 Vel jaculo pernice petunt, aut &re tonanti.  
 Stridula quem certo si glans confecerit ictu,  
 Velocem viridi dimittunt caute Molo&sum.  
 Ille secat fluctus, propiorque apprehendit acuto  
 Dente vagam pr&dam, remeatque ad litora vid&or.  
 Non secus & turpes per stagna silentia Mergos,  
 Perque lacus Fulicas pueri venantur, & una  
 Laudandas cervice Anates, & pectore molli.  
 Sic puer ad fluctus Aniani saepe sub ipsum  
 Ver nitidum canna Fulicas venabar a&ena.

*Mugilis in-  
 signis astus,  
 Et quo pa-  
 vi saliantur.*

*Ut iaculo,  
 Et are cavo  
 Mugiles  
 cadantur.*

*Et ut casus  
 canes ad  
 litora ferat.*

At

222 HALIEUTICORUM

*Ubi à Sarni  
accolis in-  
scriptum  
est.*

*In Britan-  
niam ex-  
cursio, &  
Iacobi re-  
gis Elogiū,*

At qui rura tenent, læto quæ flumine Sarnus  
Irrigat, & viridi præcingunt limite colles,  
Populea de fronde casam posuere virenti  
Margine, quæ Solem pueris defendat, & undas  
Umbret opaca, greges videantur, ut æquore ab alto  
Cum fluvios læti subeunt: visisque sub amnem  
Ilicet extento torquent cita spicula nervo:  
Velocesque Lupos, & Nests funere plectunt.  
Hinc filo è medio deducto gurgite, onusta  
Arma trahunt. Zephyri sed quæ felicior aurâ  
Me super Oceani piscatum cærulea vexit?  
Et quæ tanta animum fiducia firmat? amicū  
Nosco omen. dextro me numine ducit Apollo,  
Qui mecum, Sylvius Heliconis, & amne relicto  
Amphrysi, ac Tempe propter Penelâ Musis,  
Gaudet in herbosis confidens rupibus hamo  
Piscibus insidias moliri, & vimine texto.  
Scilicet ut magni plausus, palmasque Britanni  
Aspicerem regis, memorique in mente tenerem;  
Quo tandem pelago egressus, levibusque relictis  
Litore jam nassis. & retibus, ardua tanti  
Facta ducis cantarem, & sacri prælia Martis.  
Numine qui magno Divum, atque ingentibus orsis  
Primus Hyperboreis expellere finibus Hydram  
Ausus, & insanis inferre rebellibus arma:  
Et potuit meruisse, Diis ut agentibus ipsis,  
Immanem ante pedes Hydram cervice videret  
Abscissa, & primùm victos sine cæde rebelles.  
Ille sacros iterum fasces, ritusque Latinos,  
Corrupti mores quos gentis, avique libido  
Insana expulerat, Roma plaudente, reduxit.  
Et licet extemplo res in contraria versæ,  
Sanctaque disciderit gens vincula: totus & ima  
E Styge concussus fremat Orcus, & undique gentes,  
Concurrant, centumque trahant in bella carinas;  
Atque acies centum populorum, & fœdera jungant:  
Nimirum ut cœptis nimium felicibus obstent,  
Pellere & è folio Regem contentur avito,  
Tarpeioque iterum sejungant Orbe Britanno:

Spe-



Spero equidem nec vana fides (stant Fata Deorum  
 Inconcuſſa) throno reddendum, Dite ſubactò,  
 Inſignem pietate Virum, pœnaſque daturos,  
 Quotquot ſpe regni, vel religione profana,  
 In Regem, & ritus conſpiravere Latinos.  
 Quare age, ne timeas, Rex Inviſtiſſime: vertent  
 Fata vices, ſolioque iterum regnabis avico:  
 Et tecum Romana Fides, rectumque, piùmque  
 Rurfus in Arctoo victrix dominabitur Orbe.  
 Non te dextra hominum, ſocii nec Principis armâ;  
 Dij te reſtituent regno. Diis ire ſecundis  
 Omnia proſpicias, quorum pro Numine regno  
 Sponte tua cedis, ſceptrumque relinquis, & omnes  
 Urbis opes patriæ, & totavorum inſignia regum.  
 Scilicet indignum populis dare jura putabas,  
 Quos eadem non lex, atque intemerata Deorum  
 Religio veteri Patrum ditione teneret:  
 Digna nec auguſtam diademata cingere frontem,  
 Ni gemma meliore Fide intertexta niterent.  
 Quod modò ſi vicibus commutavere ſiniſtris  
 Fauſta ſecundarum Superi primordia rerum:  
 Nimirum fuit id, generoſo ut peſtoris auſo,  
 Intrepidoque animo tot caſibus obvius iras:  
 Magnus & adverſis ſpectere, ut maximus olim,  
 Poſt viſtos que duces bello, gentesque ſubactas,  
 Viſtrices inter, nitidasque videbere laurus.  
 Tunc ego (nec fuerit longum expectare futuros  
 Eventus rerum, & fœlicia) totus ovanti  
 Aſurgam Phœbo, lætiſque in carmina Muſis  
 Me major, plauſuſque tuos, ò maxime regum,  
 Et tua facta canam, clarosque è Dite triumphos,  
 Claraque non uno devictò ex hoſte trophæa.  
 Teque Quirinali trabea, lauroque revinctum  
 Emeritos inter plauſus, & murmurâ ovantum  
 Auſoniam lætè per magnam, Urbemque reducam  
 Victorem, & ſacra Capitoli in ſede locabo.  
 Et quamvis tibi non deerunt, qui dicere laudes  
 Per tua regna tuas contendant plurima vates,  
 Teque ſub Arctoa celebrent regione Britanni,  
 Attamen Euboicas non dedignabere Muſas:

Mu.

124 HALIEVTI CORVM'

Munera nec Vatis, fuerint quæcunque, Latini.  
Interea sine piscatum me litora propter  
Axis Hyperborei Campano currere lembo.

*Salmones*

Principio rivi dulces, & opaca fluenta,  
Atque tui Vatem invitant, 1 TELLINE, beati  
Salmones: cultu mihi quos dum supplice Divum  
Præque sacros mos ire dies fluvialibus escis,  
Atque olere, ingratisque fabis, laudare solebas,  
Dum te Parthenope, dum densis confita lucis  
Sofias, Autumno prælis spumante, teneret.  
Gratâ tibi fuit & tunc commemorasse voluptas.

*Quo vesti,  
& quo pa-  
to illos pi-  
scantur.*

Et jam Vere novo pleno dum gurgite fontes  
Cænosos veſtant amnes, nituntur ab alro  
Salmones, nigraſque ſecant audacius undas.  
Aſpice, ut adverſo Tameſi, Rhenoque bicorni  
Præda tibi properent. Bis denos retia paſſus  
Conſue tergemina & fluvio mox crede capaci.  
Nam licet in ſummo Salmones flumine nantes  
Retibus effugiant, tamen opprimit inſtita multos,  
Quæ præpior gravis ima premit, curſumque retardat.  
Verùm dum curva Salmonem indagine clauſum  
In ripam de fonte trahis, tum plurimus olli  
Præduro caput offe teres, contove præuſto.  
Si ſecus, in fluctus ſaltu pernice redibit;  
Nanque agilis nando eſt, & robuſtiſſimus omnes  
Squamiferos inter Salmo, & vivacior ævo.  
Idcirco, ut perhibent, ipſa ſi frigus in acta,  
Hicet & ſectio liberetur viſcere, vivum  
Cor ſalit, & lætis hilarat convivia menſis.

*Salmones  
vivaciſſi-  
mi, & for-  
tes.*

*Quando, &  
quomodo à  
Rhenicolis  
comprehen-  
dantur.*

Sed quo Rhenicolæ, Majo florente, fugaces  
Decipiant aſtu Salmones, accipe: paucis  
Expeditam, facilis quanquam non machina dictu.  
Rhenus ubi ripas mordet violentus opacas,  
Quercubus è duris vallum molire, vel alnis:  
Plurimus & ſaxis, & quærno termite utrumque

Ag-

1 Ignatius Tellinus Hibernenſis S. I. vir moribus antiquis, & omni  
diſciplinæ genere excultus, ingenio acri, & amœno, inque omnia  
promptiſſimo: cui Vates ob veterem neceſſitudinem hoc monimen-  
tum ſigit.

Aggestaque lacus circum firmabis arena.  
 Sic totus vallo incurfans stat gurgis aquarum:  
 Atque repercussus retrò cedit rapidus fons.  
 At gremio in medio crispantur leniter undæ  
 Fluminis, inque sinum demittitur altior amnis.  
 Hic denso tuguri compinges vimine tectum,  
 Quo capiti soles, effususque arceat imbres,  
 Flumineo qui lintre sedet piscator, & ipsos  
 Noctes, atque dies observat flumine pisces.  
 His actis, ripas inter, vallumque Panagrum  
 Crede vado, & reti filum sociate memento:  
 Illius & dextra caput observator habebit.  
 Ergo ubi scandentes fluvio obluctantur eunti  
 Salmones, rapidus devexigurgitis æstus  
 Obiecto impingens vallo vi desicit. Olli  
 Læva repercussu subeunt loca, mitior amnis  
 Quæ fluit, & casses ignari protinus intrant.  
 Tum vigil ut filum sentit salmone moveri,  
 Paxillum puer evellat, piscosa sub auras  
 Lina ut venantes multo Salmone reducant.

Quin etiam prærupta sonant quæ flumina saxis,  
 Atque cavas inter convalles altius undæ  
 Labuntur, puer, auratos venabere pisces,  
 Si tu decipulam juxtâ, nassamve locabis.  
 Nam cum remigio Salmones præpete certant  
 Exuperare vadum, seseque per æfra vibrant,  
 Sæpe plagas proni subeunt. Ast indita pisci  
 Saltandi vis mira: recurvus in ora reflectit  
 Cæruleam caudam, rictu stringitque tenaci,  
 Inque orbem sese glomerat, mittitque per auras  
 Ocyor, ut jaculum: & resonantia flumina tranat.

Sed ruit Arecidum glacialis ab æquore ponti  
 Plurima vis, lætosque replent examina fluctus:  
 Immensum lætis quæstum latura Britannis.  
 Ut Sol æstiferi percurrit sydera Cancri,  
 Et nimius terram calor urit, ab Axe nivoso  
 Signa movent, pulchroque incedunt ordine turmæ.  
 Inque Caledonii se primum litoreis oram  
 Invectant, positisque sedent hic agmina castris:

*Et ut nas-  
 sit inter  
 prærupta  
 fontium.*

*Ut mirum  
 in modum  
 saltans.*

*Arceides.*

*Illarum na-  
 tura, &  
 mores  
 Infontium.*

Et

Et virides circum frutices populantur: & omnes  
 Stirpe nova gaudent sobolescere. Plenus ubi jam  
 Autumnus pomis ridet flaventibus, & jam  
 Mitior Hercules se fregerit ira Leonis,  
 In Tamesin dexa fluunt, lateque vagantur  
 Per Batavos, Cimbrosque, in Balthica & usque recurrūt.  
 Ast ubi raucifonæ ponto incubuere procellæ,  
 Et jam Bruma rigens ventos molitur, & imbres,  
 Agglomerant sese rursus, pelagusque Britannum,  
 Ordinibus lustrant densis, cursantque frequentes  
 Oceani per aquas, & saxa virentia propter.  
 Cumque novæ terris Iani rediere Kalendæ,  
 (Quis neget ingenium Naturam piscibus, anni  
 Tempora quo scirent ventura, vicesque dedisset)  
 Ocrini per curva ferunt se litora, & omnem,  
 Perque latus geminum, circumspatiantur Hibernen.  
 Tandem Vere novo superant terrasque, fretumque  
 Extremam præter Thulen, præterque sonantes  
 Orcadas, & patrio reduces se gurgite condunt.  
 Lætæ ubi concipiunt non uno semine partus;  
 Impleat ut ponti fluctus numerosa propago.

*Uximè  
 capiendæ,  
 cū veniūt.*

Cum veniunt, densæ quoniam stipantur, in æquor  
 Dyctia ne solvas, multa sub mole natantum  
 Haud dubio scindenda. nocet felicior ipse  
 Proventus: nec multum uber dat copia quæstum.  
 O quoties avidi, largæque cupidine prædæ  
 Correpti, longos conati incidere funes,  
 Ipsaque cum magnis amittere retia prædis.

*Sed cum  
 se Autumnus  
 no disper-  
 gunt.*

Ergo sub Autumnum cum se dispergere cœtus  
 Incipiunt, circumque vagi freta cœrula cursant,  
 Aggredere: effusam poteris tum perdere gentem.  
 Non secus è nigra cum se Mæotide fundunt,  
 Transque Scythæ Tanaim prorumpunt, lateque denso  
 Agmine decurrunt campestria. Lechus in ipso  
 Interea vallo se continet, ast ubi turmas  
 Partiti, latè campos populantur, in hostem  
 Effusus ruit, & sparfos cæditque, capitque.

*Tada pra-  
 lucenti.*

Insuper his, quoniam splendenti lumine gaudent,  
 Solertes curva cædas è puppe nitentes  
 Atollant pueri: viso fulgore catervæ

Con-

Confestim densæ venient: linumque subibunt:  
 Ipsæ etiam tremula radiantè Doride, summa  
 Obversa nantes alvo cum cærule sulcant.  
 U: latè innumeris veluti mare fulguret astris.  
 Se quibus indiciis tibi produnt, ves: ier unda  
 Arcides fama est, ipsaque uligine ponti.  
 Puniceo velut ipse, niter qui viscere, Salmo:  
 Nam vacuus venter, perhibent si vera, repercus,

At tibi lenta trahis si felix otia turbis  
 Infans procul, & nitida semotus ab aula  
 Per solos montes, & inambitiosa beati  
 Rura soli, propiorque colis, vir nobilis, undas,  
 Expediam paucis artem, torpentia solers  
 Otia qua valeas, & dulces fallere pisces.  
 Et simul ærumnis animum relevare molestis,  
 Quem versæque vices rerum, semperque dolenda  
 Florentis patriæ clades, ritusque Latini,  
 Atque pii Regis tot vexavere labores.  
 Et tibi gratus erit modus hic, 1 GALVÆE, tumultus  
 Sive lates inter Tamefis, seu præpete cursu  
 Per montes fugitivus, & invia lustra pererras:  
 Sive tuz sospes tetigisti litora Hibernæ,  
 Magnaque pro Sacris, & Rege pericula tentas.  
 Ergo age, si vacat, & fas est descendere ad undas  
 Arctoo propera mihi dexter ab usque recessu:  
 Adde & Olympiaco Vati, GALVÆE, decorem.

Intorto primum lino contexere conum  
 Præcipe, & iliceo conum succingere circo.  
 Circulus impositus sua per discrimina cono  
 Ternus erit: terno religetur vellere summus,  
 Inque unum cotunt ubi funes vertice nodum,  
 Longior alter erit, pendet quo machina longam  
 Inde trabem ripa figes viridante sub ipsa,  
 Obiice vel medio fluviorum: & desuper asser  
 Rectus in extremo radiis nectatur acutis:  
 Transversoque unâ firmetur uterque tigillo.  
 Crux Germana velut, miseri quâ funere fontes

*Secundus  
 piscandi  
 modus, quo  
 se nobiles  
 Britanni  
 exercent.*

Ple-

1 Iacobus Galvzus S.I. Hibernensis Vati inter familiarissimos pri-  
 mus, & ob candorem, variamque eruditionem grausissimus.

128 HALIEVTICORVM

Plebeio commissa luunt. transversus & asser  
 Pendentem accipiat trochleam. cum deinde marinæ  
 Te prædæ accinges, curvum transmissâ per orbem  
 Linea sustentet conum, qui fluctibus extet  
 Altior, atque illum complebis plurimus esca.  
 His animadversis, refluo cum Nereus æstu  
 Assurgit, ripasque tumens infundit, & æmnam  
 Impellit retrò veniens, tum piscis in orbem  
 Irrumpit, scombrisque famem vincitque, fugatque.  
 Ast ubi jam refluo rediens pede mobilis undam  
 Subtrahit Oceanus, nudataque litora linquit,  
 Squamosas cæco volucres de castre reduces.

Non dissimilis, quo  
 Tarentini  
 duntur.

Lubrica dissimili non arte examina fallunt  
 Oebalii. Curvos quâ septem infusa per arcus,  
 Septeno veluti rivo se Doris in altum  
 Devehit, & magno jungit commercia ponto,  
 Tempora dum Lunæ per certa reciprocatur æstus:  
 Hic, tibi piscantum speculæ stant ponte repostæ,  
 Ante arcus geminam fundant in marmore cerrum:  
 Atque illam multo religatam vimine firmant.  
 Coniferum longa labyrinthum cœnabe cœris  
 Associant (viridi mixtus, flavoque colore  
 Conus erit piceæque simillimus) incita cursu  
 Exin sub noctem: (nox est accomoda fraudi:  
 Et color ille dolum portis occultare; sub umbris  
 Nanque est, ut perhibent, obtutus piscibus acer)  
 Externas cum prona Theris procurrit in undas,  
 Vitrea piscoso committunt cœrula cono.  
 Quotquot de vexa veniunt tum Doride pisces,  
 Sponte sua subeunt maculosi carceris antrum.  
 At verò ut reduci jam se missura per atcus  
 Est iterum pede sethys, ovanti murmure conum  
 Educunt, prædamque hilares ad tecta reportant.  
 Si secus, antrorsum venientia marmora textum  
 Impellent, fugientque citæ per aperta cohortes.

Etatisque  
 temporibus  
 certos ve-  
 niantur pi-  
 sces.

Tempore quemque suo capiunt hac arte natantem.  
 Cum Chiton retrò vacuus dat terga sagittis,  
 Altaque dum terris nox est, tum lumine captas  
 Cum Congro capiunt 1 Anguillas: frigida sed cum

Al-

1 Has Tarentini vocant *Anguille orbe*, quod cœcæ videantur, sunt  
 que suavissimi saporis.

Alget Hyems, Soleas, & primo Vere requirunt.  
At tres Autumni, totosque ex ordine menses  
Mixta Spato rosei venantur tergora Mulli.

Hic neque præteream cæli quo sydere certo  
Singula squamiferum lucis venetis aquis.  
Ut nitidum Ver pingit agros, & crine novello  
Investit latè sylvas, tum Scorpius uda  
Lina per se cupiendus, & igni plurimus ardens  
Astacus, atque Elephas, inflammatæque Locustæ.  
Hos etiam, rapidis candet dum Solibus Ætas,  
Reribus, aut nassis piscabere: tunc & opimas  
Engraulis, Thrissasque, & viles viscere Salpas.  
At Aphyas æstu in medio, cum fervidus urit  
Arua Leo, capies turmatim: è gurgite quando  
Semine non jacto crescit numerosa propago.  
Læta per Octobrem Loligo, perque sequentes  
Autumni menses, quo pinguis tempore Dentex  
Fallitur illecebris escarum saxa secundum.

At Polypus dum Bruma riget, cum Mænides, & cum  
Sphitæ, nitidæque Umbræ captantur, & Orphi.  
Datque Autumnus Acus, dat, dulcia sercula, Mullos:  
Quos etiam progignit Hyems, atque herbiferum Ver.  
Cum geminum Divæ surgens Amathuntidis astrum  
Emicat, & raris Aries nitet ignibus, uber  
Muræna, & dulci captatur nectare Conger.

Quid leviora sequar? superest via multa per altum  
Exuperanda: Notæ spumant cum regna Profundi,  
Pulsatæque gemunt cautes, & litora plangunt,  
Venandi quæ cura tibi, piscator, habenda,  
Jam nunc præcipio, quando terraque, marique  
Improbis est miseris labor impendendus, iniquam  
Quo saturare famem, duramque levare caducæ  
Pauperiem vitæ valeant quibus haud bona Fati  
Principio data Sors, nec blando lumine Cælum,  
Ortaque nec nutu riserunt astra benigno.

In primis solido subtexes i Dyctia spartho:  
Lataque sint maculas, nexisque tenacia nodis,

*Quo quisq;  
piscis tem-  
pore capi-  
antur.*

*Qua arte  
inter pro-  
cellas pi-  
scandum.*

*Reti de-  
scribitur.*

I

UI

i Hoc rete, quod à Gallis primum inventum ferunt, estque familia-  
re Græcæ, Prochytaque incolis, nostri appellant *Tartana Francessè*.

130 HALIEUTICORUM

Ultima & Oceani campos visura marinos  
 Instita sit multo gravis ære : tumentia verrant  
 Ut vada piscosi casses , prædamque reportent.  
 Nonnulli extremo sua per discrimina textu  
 Præduros silices, & grandia saxa reponunt.  
 Cætera, persimiles sint retibus. hos ubi casses  
 In navi, puer, imposuisti ritè paratos,  
 E portu solves animosus : & æquor in altum  
 Piscatum venies, quamvis illisa reclament  
 In scopulos freta pulsa Notis, & desuper ingens  
 Porta tonet Cælis resuatque nigerrimus imber.  
 Ergo ubi veloces tenuerunt alta carinæ,  
 Albentes inter fluctus da retia ponto.  
 Hinc geminum gemina firmabis cannabe cornu  
 E prora, puppique, globum ne forte sub unum  
 Concurrant, nullos gremio captura natantes.  
 Proderit & longas utroque à vertice fagos,  
 Brachia tenta velut, valido vincite rudente :  
 Extremis quorum cervicibus insere funes :  
 Et nodis constringe; retro piscosa capaci  
 Orbe trahent, largisque onerabunt retia prædæ.  
 Inde sinus humiles velorum expande, recurvum  
 Inque latus deflecte, vagæ quò Tethyos amnes  
 Spumantes tranversa recurrat cærule pinus .  
 Sic secreta colunt qui Nereos antra profundi,  
 Et raucos pelagi pisces odere tumultus,  
 Captivi venient in retia, plurima cursu  
 Postquam velivolo cava trabs per cærule fugit,  
 Collige vela: graves & aquoso è gurgite casses  
 Duc super: innumeras squamosa è gente cohortes  
 Aspicias, mixtimque plagis hætere, sinuque.  
 Lætus & ingentem cumulum versabis in alnum.  
 Id tamen in primis cura majore cavendum  
 Ne piscosa trahas per duris aspera saxis  
 Retia, nec saltus inter, spumosaque lustra,  
 Nec quæ per densas sublucida Tethys arenas  
 Sternitur: at mollis quæ limus, & undique densum  
 Stat sabulum, celsa solves de puppe Panagrum.  
 Nè facias, duræ lacerabunt Dyctia rupes,  
 Hærebuntque inter sylvas implexa marinas:

*Es piscatio que patto in firmatur.*

*Esca, fil. va, & are. na visanda.*

Auc



Aut gravibus repleta sinus scindentur arenis.  
 At mihi, quis, Divæ Nereidæ, æquora primus  
 Ingressus spumosa, nova piscariæ arte  
 Ausus, & horrendos nimbo contemnere ventos,  
 Dicite: vos illum resonantes ire per undas,  
 Et spumas inter miratæ solvere linum:  
 Atque omnem obscura revocate ab origine famam,  
 Si vestertanto meruit jam carmine Vates.

Exoriens pluvio tristaverat æquora nimbo  
 Phyllirides Chiron, vultuque minante, sagittas  
 Imbriferas arcu torquebat, & undique ponti  
 Tollebat Cælo freta pulsa procijsibus Austris.  
 Et jam Luna cavum bis luce repleverat orbem,  
 Bisque nova rediens sinuarat cornua fronte:  
 Attamen abruptis nondum turbata procellis  
 Æquora, non & saxa vadis clamosa quierant.  
 Interea Licydas Miseni in rupe sedebat  
 Piscator, Prochyta vestus qui nuper aprica  
 Venerat Euboico quæsitum gurgite prædam.  
 Oscus erat, Prochyta sed dudum Chlorida Nympham  
 Duxerat, & quatuor secundo semine natos  
 Iam pater ex illa toridem susceperat annis.  
 Hic quoniam finis non tempestatibus ullis,  
 Nec pluvix modus, & ventis, his ora resolvit  
 Secum multa gemens: Læti quæ Numinis ira  
 Tot tempestates pelago, tot murmura sylvis,  
 Diluviumque undarum, atque horrida fulmina tertis  
 Intorsit, totumque involuit turbine Cælum?  
 Credo equidem Divum offensis, & Virginis ira  
 Insuecum spumare vadum, scindique trifulco  
 Igne polos, ventosque unâ certare furentes,  
 Scilicet ut ventis tumefacta furentibus irent  
 Æquora Tellurem vel submersura Profundo,  
 Vorticibus classem seu dejectura profanam:  
 Quæ fors invitis secat indignantia Fatis  
 Æquora, bella sacris, Diis impia bella ferentes.  
 At mihi quis misero deserta hac rupe moranti  
 Pauperiem relever? gnatis, chartæque sorori  
 Quis victu vitam sustentet paupere tecto?  
 Ter deni fluxus dies sine solibus, ex quo

*Us primus  
 vobis imit-  
 sum.*

132 HALIEVTICORVM

Vela dedi, & mæsta natos cum conjugè liqui.  
 Ah dulcis conjux ! dulcissima pignora, nati !  
 Quis vos intereà vacuo nutritiv in antro ?  
 Tu Virgo, quoniam caras mortalia Virgo,  
 Aut miseris vitæ fer victum, aut marmora placa.  
 Hactenus insanas potuisti perdere puppes,  
 Et patrio è regno sceleratam avertere gentem.  
 Aut verò infames si jam tetigere carinæ  
 Litora, tu nutu poteris dispergere turmas,  
 Atque pio Regi, populoque afferre salutem.

Hæc dum multa gemit, somno defessus amiso  
 Opprimitur, mollique caput declinat in alga,  
 Et vix prima quies obrepserat : aurea summo  
 Cum Cælo veniens affulsi Olympia Virgo  
 Ingenti sub luce, velut pulcherrima Solem  
 Præcurrit croceis Aurora investa quadrigis.  
 Lumine quo totum, penitusque in rupibus antrum  
 Emicuit, roseoque simul spiravit odore.  
 At Virgo hæc Licydæ divino ex ore locuta est :

Ne dubita, puer, infames si perdere classes  
 Mens fuit, & regno gentes prohibere profanas,  
 Sacra Deum, ritusque, patresque ultura Latinos,  
 Haud studiosa tui cessit mihi cura, tuæque  
 Conjugis, atque tui sunt & mea pignora, nati.  
 Nanque pios servare Deos quisne ambigat ? Ecquis  
 Despectum vidit justum, meminitque relictum,  
 Illius & tenuem natos perquirere quadram ?  
 Verùm age, si tantum potuit meruisse benignis  
 A Superis animi pietas, & candida morum  
 Simplicitas, inter spumas, fluctusque sonantes  
 Quaque inter ventos possis piscariæ arte,  
 Accipe, mox placido juveni sermone rerexit  
 Difficiles artes, memorique in mente locavit.  
 Inde volans sese in nitidum dedit æthera Virgo.  
 Quaque dedit, niveo tractum candore reliquit:  
 Lacteâ ceu summo subtermicat orbita Cælo.  
 Hic Licydas somno excutitur, latèque per antrum  
 Aspicit insuetum terris fulgere nitorem:  
 Ambrosiamque auram, & divini floris odorem  
 Afflatu sentit Superùm spirare beato.

Au-

Aurea sed nusquam prospectat Virginis ora.  
 Pronus humilabat, & sic incipit: O bona Diva,  
 Quis tibi nunc tanto solvat pro munere grates?  
 Quandoquidem nostras non averfatis amica  
 Aure preces, summoque humiles dignaris honore.  
 Sed cur ætherias, Regina, citissima sedes,  
 Cœlicolumque choros, & Olympia regna petisti!  
 Credo equidem, tanta non Tellus Virgine digna est.

Hæc dedit, & patriam, pacata Doride, venit.  
 Instituitque novas artes, & munus ad aram  
 Fixit Olympiaco in templo, versuque notavit,  
 Quæ sibi divino monstrarat lumine Virgo.

Verum si pluvix descendant amne perenni,  
 Et venti immanes tollant sine more Profundum:  
 Tum rigidas durare Hyemes, piscator, in antro  
 Convenit ante focum, parcèque absumere fruges:  
 Et circumfusis chara cum conjugè natis,  
 E sinu vestano subtexere vimine nassas,  
 Currere, cæruleum plena vel arundine linum:  
 Omnis durando quoniam Fortuna ferenda est.  
 Cumque vetat maiora sequi, ne mitte virili  
 In parvis animo solertem impendere curam:  
 Quæque negat Fortuna, tibi solertia penfer.

*Cessandum  
 cum suo  
 more savi-  
 mus veni.*

Haud secus elapsum miseri duravimus annum,  
 Quo magis infaustum, aut peiorem secula nunquam  
 Progenere: dabunt, speramus, secula nunquam  
 Post ventura alium. Quid non miserabile terris,  
 Et quid non dignum lacrymis spectavimus illo?  
 Vidimus immensos Cœlo descendere rivos,  
 Ac toto insanum se fluctibus Æolon antro  
 Mittere præcipitem, frænumque furentibus Austris,  
 Et rapidis laxare Euris, Corisque, Notisque,  
 Undique raucifonis vertentibus æquora nimbis.  
 Vidimus immenso venientes rupibus amnes  
 Ire palatinas dejectum gurgite moles,  
 Exhaustumque homines, ipsasque a vertice sylvas,  
 Quin etiam versasque vices, & quattuor anni  
 Tempora: nec sua per vestigia volvier Orbem,  
 Atque alium rebus Fata induxisse tenorem.

*Calamitas  
 anni 1688  
 descriptio.*

Anne partum Superis visum est, quod nuper ab imis  
 Cardinibus latè Tellus concussa remugit,  
 Et tot cum miseris evertit civibus urbes  
 Ut rabies etiam Neptuni insana tumentes  
 Tolleret in Cœlum fluctus, rueretque refusis  
 Vorticibus terras, urbesque haustura superbas:  
 Insuetumque ageret Sol ipse, & sydera cursum:  
 Scilicet ut sua non per tempora diffuaret annus.  
 Vix lacrymas retinere queo, dum funera cogor,  
 Illius & sævi cladem meminisse dici:  
 (Atra dies, atro semper signanda lapillo,  
 Quam semper tristem, Dii sic voluistis, habeo).  
 Cum Sol informi faciem ferrugine tinctus,  
 Usque reluctantes, nigraque in nube latentes  
 Egit equos, radiisque oriens assulit opacis.  
 Nimirum puro ne infandam lumine stragem  
 Aspiceret, magnique daret præfagia luctus.  
 Ipsæ etiam brutæ pecudes, ipsæque volucres  
 Signa mali, ut perhibent, tanti manifesta dedere.  
 Quin & sub cœcis undè sonuere cavernis,  
 Et pigros retrò flexerunt flumina cursus.  
 Jam Sol è medio fugiebat; pronus Olympo,  
 Præcipitesque ipsi rapiebant fræna jugales,  
 Insolitam affantes auras, lucemque malignam,  
 Cum venti posuere: sed æquora visa repente  
 Altius atollit, montesque assurgere aquarum:  
 Illicet excussis radicibus undique Tellus  
 Concutitur: totis & concisa fundamentis  
 Immugit, magnumque ciet tremefacta fragorem.  
 Ipsaque succussa pariter Tellure Deorum  
 Delubra, atque ædes, lunataque mœnia, & altæ  
 Confestim turres, unâ convulsa ruina  
 Subsiluere: cita mox & vertigine terræ  
 Nutavere latus, jam jam casura, supremum:  
 Mortalesque omnes casu oppressura repenti,  
 Atque necem pariter, pariterque datura sepulchrum.  
 Ne caderent: pietas intactæ Virginis una  
 Obstetit, irato rapuit quæ tela Tonanti.  
 Nam secus ingenti genuisset merca dolore  
 Parthenope: & nusquam staret felicitior illa

*To reme-  
 tus prædi-  
 cti anni  
 enarratio.*

Tyr-

Tyrreni regina maris, regnique beati:  
 Clara armis, & clara viris, æquataque Cælo  
 Molibus immensus atavorum, & divite luxu.  
 Sed lapides tantum foret, & lacrymabile bustum.  
 Bustum ubi divitiæ tot, opesque, aurique talenta,  
 Millia totque hominum saxi oppressa jacerent.  
 Vix & momenti flevisset secula luctum,  
 Vix & momenti reparassent secula damnum.

Una tamen (lacrymis quis temperet ora?) Tonantis,  
 Telluris trepidante sinu domus alta supremo  
 Culmine procubuit concussa, tulitque ruinam  
 Ingentem, sonitumque dedit. Pulcherrima quondam,  
 Proh dolor! è nostra cecidit cervice corona,

*Insignis  
 Tholi Ec-  
 clofa S. S.  
 ruina.*

O ubi syderio vertex æquatus Olympo,  
 Et nivei lapides, & pulchro Dædala textu  
 Marmora, & ex auro muri flammante coruscil

*Illius de-  
 scriptio.*

O ubi spirantes viva sub imagine vultus  
 Divorum, pictique arcus, & mille figuris  
 Intertextus apex, & mille coloribus ardens,  
 Et rutilis ardens gemmis, & iaspide fulva!  
 Mirum opus in terris, & moles æmula Cælo.

Æmula nam superum felicia tecta Deorum  
 Auratus, pictusque Tholus referebat: & ipsa  
 Numina nativo veluti radiantia Cælo  
 Divina sub luce, & majestate videnda,  
 Felicesque dabat cœtus, & gaudia Divum,  
 Et dias auras, & dii luminis haustum.

At potuit cecidisse: jacet, miserabile visus,  
 Maceries aggesta loco deformis in uno.  
 Ergo tot annorum moles sudata labore,  
 Tot manibus, studiisque hominum, cui barbara Mœphis,  
 Cui Rhodus, & Carum pendentia Mausolæa,  
 Altaque cessisset Babylon, quis crederet? uno  
 Telluris nutu, & momento proruit uno.

Et tu Romanæ monumentum insigne decoris  
 Tyndaridis quondam geminis, Phœboque dicatum  
 Tiberio Prætoræ, mari quo tutior alto

I 4

Cur- *Tiberiana  
 molis ca-*

1 Magnificus templi prospectus. quod Apollini primùm à Neapo-  
 litanis dicatum, mox instauratum à Tiberio Augusti liberte maris  
 prætoræ Cæstri, & Polluci consecratum est.

Curreret, obstrictis, pacato Numine, nimbis,  
 Mille per anorum cursus, & secula septem  
 Casibus è tantis servatum concidis: uno  
 Abripiens tecum Fato decora alta vetusti  
 Temporis, & seclis nunquam renovanda futuris.  
 Discite, mortales, ædes, & tecta superba,  
 Atque triumphales patrum contemnere moles.  
 Quicquid, grande licet, positum sub Sole caducum est.

*Attonita  
 urbis def.  
 cipiis.*

Sed quæ tunc facies, proh Numina! qualis & horror  
 Rebus erat! quantumve dabant concussa fragorem  
 Liminaque, murique domum, & sublimia tecta!  
 Pars stetit exanimis: tenuem pars altera vocem  
 Vix ciet attonita, & celere quæ tendere gressum  
 Haud videt in loca tuta, fugaque avertere mortem  
 Instantem dorso jam jam, & crudele minantem.  
 Ille fugit, refugitque, & nusquam certa saluti  
 Apparent: quocumque tuas, se perdere certum est:  
 Sub pedibus nam terra tremis, circumque labantes  
 Horrendum nutant ædes, murique dehiscunt:  
 Desuper imbre pluunt pinnae, convulsaque tecta.  
 Sulphure permixtus nec jam spirabilis ipse  
 Aër est, vitæque negat, dum sufficit, haustus.  
 Clamorem attollunt alii, veniamque benignos  
 Exorant Superos, & pugnis pectora tundunt.  
 Omnia terror habet: miseros premit horrida cunctos  
 Formido, luctusque & plurima mortis imago,  
 Urbis tota immugit strepitu, mæstisque virorum  
 Cuncta sonant lacrymis, & sermineo ululatu.  
 Non aliam rebus faciem sub fine futuram  
 Crediderim Mundi, Cælo cum lapsus ab alto  
 Plurimus igne minax, & majestate tremendus,  
 Stiparusque aderit tot millibus arbiter Orbis:  
 Cunctaque verba hominum strictim pensurus, & acta:  
 Inque pios feret astra, malosque ad Tartara mitter.

*Edita in  
 Samnitorum  
 na.*

At non irati Samnitibus ira pepercit  
 Numinis abrupti mores, patefactaque Tellus  
 Non uno conspecta loco: lateque dehiscens  
 Oppida cum villis, magnasque absorbit urbes:  
 Millia totque hominum fato fera perdidit uno,

In-

Ingentesque evertit opes, quas plurima quondam  
 Ars dedit, & longo pepererunt secula censu.  
 Informes passim cumuli spectantur, ubi olim  
 Mœnia, turritæque arces, urbesque manebant:  
 Obruta sub propriis non agnoscenda ruinis.

At meus insigni servatus munere Divum  
 Aggere saxorum, mediusque è pulvere cæco  
 Evasit, & Lidorus, erat qui forte sub alto  
 Fornice, qui quanquam ruiturus: at usque pependit,  
 Quò puer egressus campo se misit aperto,  
 Atque iterum Cœli prospexit sydera sospes.  
 Chære puer, nivei te mœres, & pia Virgo,  
 Cui niveus cordi pudor est, & candida vitæ  
 Simplicitas, Fato incolumem servavit acerbo.

*Lidorus  
 servatus.*

Sed non hic modus ærumnis: majora dolemus:  
 Scilicet abrupti cursum felicibus armis,  
 Et spem tot bellis partam, clarisque triumphis  
 Incidi, & virides sensim languescere laurus.  
 Nimirum invidiæ stimulis agitata malignis  
 Alecto armavit reges, & fœdèra rupit:  
 Fœdera Principibus non rescindenda Latinis.  
 Nuper ad Eubœam frustra rugisse Leonem  
 Adriacum læti Thraces sensere: sub una  
 Torque duces, & opes, & vires Chalcide fractas.  
 Gavisique leves ultrò decedere Moschos,  
 Et malè Sarmaticas Lechum posuisse securès.  
 Parte alia socio spumantem sanguine Rhentum  
 Dejectasque igni, ferroque audivimus arces,  
 Et desolatas passim deflevimus urbes.  
 Insidiisque peti Regem, ritusque Latinos  
 Everti, effraznesque palam strepore armâ rebelles,  
 Et conjuratas Batavorum accersere classes:  
 Accendique omnem fatalia bella per Orbem.  
 Bella triumphales nullos visura curules:

*Cætra am-  
 ni calamita-  
 tate com-  
 sentur.*

At-

1 Nic. Ferdinandus vatis alumnus, qui Beneventi juventutem laci-  
 nis literis crudiebat. cum vero modestè consulens ne puerum solus  
 in gymnasio alloqueretur, in atrio versaretur, terræmotus repente  
 obortus est, corruitque gymnasium: atrii vero fornix etiâ nudique  
 scissimis pateret, & cetera tamen.

138 HALIEUTICORUM

Attamen Odrysiis non despicienda tyrannis.  
Scilicet Aufonidum, Scythico quæ plurima fecit,  
Hæc prædatori reparat discordia regnum.

Sed jam lethiferum tenebris caput abdidit annus:  
Sperandum nunc læta novo:procul 1 ære fugato  
Informi,trepidæque minis Telluris,& undæ,  
Jam populis studiosa suis 2 Argentea cudit  
Secula Parthenope:quæ,si modò Juppiter æquus,  
Aurea Saturni Fato meliore sequentur.

---

1 Vetus moneta à sceleratis tonforibus adeò corrupta, ac detonsa  
ut intolerabilis planè esset. 2 Nova excusa,quæ arduo primum co-  
nato incepta, felici tandem eventu initio anni MDCCLXXXIX. summe  
omnium plausu pervulgata est.

F I N I S.









Hus Vincent sculp



# HALIUTICORUM

## LIBER VI.

**H**AC piscosa tenus per molles retia salus,  
 Vimineasque plagas, & acuta terendimus uncis  
 Fila, quibus pelagi volucres mactavimus: ac nunc  
 Sunt ferro, Neptune, tuos, quo spumeus ira  
 Fundamenta quatit terrarum, & cœrula Ponti  
 Bella vagis tractanda feris. Age numine dextera,  
 Dive, adis, primæque fove præludia pugnae.

Nec minus ò nostri decus ævi, te duce quando  
 Squamosam in gentem non ludicra bella movemus,  
 Annue, CARDENIDE, cœptis, viresque ministra  
 Bellanti, ut victor donatus tempora myrto,  
 Heroam affectem per Marcia prælia Laurum.

Non te dura manet, Piscator, lucta, minorum  
 Sternere veloci jaculo genus omne natantum:  
 Seu vafer in campum ruat Osmylus, aut Synodontes  
 Occurrant, rapidique Lupi, Nestesque fugaces:  
 Nanque uno poteris configere protinus ictu,  
 Vibrando si dexter eris, sub cœrula telo.

*Piscator  
 usus.*

Hinc tibi præcipio teneris assuescere ab annis  
 Spicula sæpè manu, sæpè & versare tridentes.  
 Non secus ac juvenes venturi ad prælia, primum  
 Exercentur equis, campoque excurrere discunt:  
 Atque habiles sese pilis, levibusque sagittis  
 Efficiunt, mollique student præludere arena.

At quoniam pisces per saxa frequentiùs errant,  
 Ut nitidum lato tonsent de vertice muscum,  
 Idcirco viridi florentes gramine cautes,  
 Et scopulos, Piscator, adi, quos undique Tethys

*quibus  
 lucta.*

Al.

140 HALIEVTICORVM

Alluit : hic rimis Saxorum, aut margine in udo  
 Depascens herbosa pecus venare tridente .  
 Interdum cymbà poteris, dum curris, ab ipsa  
 Lubrica per liquidos Nerei ludentia campos  
 Agmina conficere: aut molles dum proijcis escas:  
 Quas circum subito cœtus glomerantur aquosi.  
 Verum, ut per cœcos saltus, spumosaque lustra  
 Clarius undos as acies, populumque fugacem  
 Aspicias, domiti guttas, venator, olivi  
 Plurimus infundas Pelago: sic cœrula fient  
 Lucidiora vitro, quò cernere detur opacæ  
 Quicunq; in gremio Thetidis grex squameus errat.

Oleo in-  
 fuso cla-  
 rior aqua  
 fit.

Quanquam Sol radiis dum totum amplectitur Orbem,  
 Atque operi insistit genus omne, hominumq; boumq;  
 Et campis spatiantur oves, & pascua lustrant;  
 Ipse suum possit Piscator inire laborem,

Non pesca-  
 sioni op-  
 portuna.

Opportuna tamen magis est, & commoda fraudi  
 Humida nox: faciles vestrum sub nocte laborem  
 Exercete, viri, cursentque per æquora lintres,  
 Et tacitos non una secet cita palmula fluctus.  
 At si querere amas, per opaca silentia prædam,  
 Vel piceam, & adasve ferat splendore coruscas

Noctis fa-  
 ces adhi-  
 benda,  
 quibus pi-  
 sces suspe-  
 sãti ha-  
 reant.

Curva tibi puppis: viso nam lumine longè  
 Hærebunt medio stupefacti gurgite pisces.  
 Ceu densas inter tenebras, noctemque profundam  
 Si quis Avernales Erebi conspexerit umbras .  
 Attonitum tu cæde gregem. sed singula nostro  
 Carmine percurram belli præcepta gerendi:  
 Nam varios non una neci dat machina pisces.

Et primò ingentem Neptuno credere textum  
 Invitant Siculo ludentes æquore Thynni,  
 Pelamydumque chori, & læta Pompilus in umbras  
 Et jam bella jugo clamat speculator ab alto .  
 At sinuosa prius quàm litora linquimus, & quàm  
 Lethiferas per læta plagas vada solvimus, omnem

Thynnorum  
 natura, &  
 migratio.

Accipe rem populi, Piscator. Aquosa per alta  
 Perpetuo Thynni cursu fugiuntque, ruuntque  
 Turmatim: Graio Dromades hinc nomine dicti:  
 Cursores Latio nostræ, vertere vocantes,

At

At licet assidue percurrant Nereæ, nunquam  
 Ordine ni certo, quadroque sub agmine Ponto  
 Incedunt, veluti Delphines, ut agrinus hostes  
 Irrumpant densi contra, pugnentque feroces.  
 Ætheriæ partem sortiti mentis, & acre  
 Ingenium, ventos, & nubila, & uda serena,  
 Prænoscuntque vices, & tempora mobilis anni.  
 Ut primùm è gelidâ Boream Mæotide flantem  
 Præsensere, citi venientes agmina jungunt.  
 Hinc Ponto sua castra movent, ventisque secundis  
 Bosphoron invadunt, præterque Propontida vecti,  
 Ægis miscentur aquis, latèque per omnia  
 Inclusæ Thetidos vada salsa, sinusque peterrant.  
 Ast ubi jam properans nimbo comitata sonanti  
 Bruma rigens illos comprehenderit, humida figunt  
 Illic castra, ipsoque Hyemem sub gurgite durant:  
 Tempore, quo nimium pinguescunt ubere succo.  
 Sed cum ver nitidum caput effert, summa revulsunt  
 Tethyos alta, vagisque flagellant marmora castris.  
 Donec sol nimis fervoribus increbrescens  
 Exiguas nemorum faciat pastoribus umbras:  
 Nam tunc Euxini repetunt freta, perque tepentes  
 Æstatem fluctus, & inhospita litora ducunt.  
 Ast illud mirum est: subeuntes cætula Ponti  
 Threijciam dextrâ ripam stringuntque, premuntque:  
 Bythinum lævâ litus, perque æquor Abydi  
 Euxino egressi mediam labuntur in Hellen.  
 An quia nimirum lævo caligat in igne,  
 Acrior obtutus dextro? Sub lumine Lunæ  
 Interdum dulces imâ sub Doride somnos  
 Conciliant, mollique reclinant corpus arenæ.  
 Durus ubi longo Piscator sæpè tridente  
 Sopitos ferit, & morti dat plurimus atræ.  
 Ventris inexpleri rabies insana voraces  
 Actius exercet Thyunos: cogitque sub alvum  
 Mittere perpetuo quodcunque occurrat: & ipsos  
 Nonnunquam fætus, atque ova recentia mandunt.  
 Nec pietas movet ulla feras. E piscibus alter  
 Haud equidem Thyнно scelerator, humida lustrat  
 Æquora. Pelamydes, socium genus, omnia servant  
 Thyn-

*Ut quatuor incedans agmine.*

*Et vices anni, venosque præsentiant.*

*Per maria cursum.*

*Redeunt in Euxinum æstate.*

*Lævo oculo obsoletos.*

*Dormiunt.*

*Voraces sunt.*

*Ut nec fœtus suis parcant.*

142 HALIEUTICORUM

*Polamydas  
cum Thyn-  
nis meant.*

Thynnorum studia, & moros, connubia, & ignes:  
Ordinibusque meant junctis, & fœdere pacto  
Cuncta tenent omnes eadem, victumque, Laremque.

*Quibus in  
locis Thyn-  
norum pi-  
scatio fiat.*

His animadversis, instat jam sen. pus, acutum  
In validum Oceani pecus intorquere tridentem,  
Antè sed opportuna tibi quærenda profundo  
In medio sedes, ubi figere castra licebit.  
Optima censerur, prono quâ flumine Nereus  
Profluit, & magno curvantur litora flexu  
Post virides Colles, & Promontoria longa.  
Talia sunt Theridis Lilybeia saxa Sicanz,  
Et refluxæ Nesidos aquæ, Stabizque vetustæ,  
Est & Sardoï sinus æquoris, atque repostæ  
Trans Calpen Gades, & 1 Tingi litora, & omnis  
Herculei tractus Pelagi, Nilique fluenta,  
Præter & Ægæum quâ fluctibus obstrepit Helles:  
Et quâ de vexti venientes accipit undas  
Bosphorus Euxini, latè que Propontis inundat,  
Auriferum juxtâ 2 cornu, quâ è colle sinistro  
Leucopetram 3 denso fugientes agmine currunt,  
Dum Vere è nigra veniunt Mæotide Thynni.  
Sunt aliique sinus, quos fama obscura recondit:  
Quippe ferunt tenuous operosa in retia prædas.

*Quo tem-  
pore insti-  
tuenda pi-  
scatio.*

Nunc age, cum primùm Maij fulsere Kalendæ,  
Et læti rident non unâ Chloride campi,  
Quæsitam in sedem venies, Piscator: & undis  
Hic primùm demitte 4 Crucem, quæ quattuor Orbis  
Quattuor ostendat radiis partesque, situsque.

*Quove fru-  
demissen-  
da vesia.*

Indè oblonga mari sociatis 5 insula Lembis  
Creditor auspicio Divorum, & murmure læto.  
Cruce ubi missâ, plagas terrarum, & sydera monstrat,  
Aulai 6 medium descendat: & una repentem

Pars

1 Africa portus *Tanger*. 2 Byzantii promontorium, Auricornu, Plinius vocat à copioso proventu Thynnorum. 3 Albicans in mari petra ad ripam Chalcedoniam, cujus aspectu territi Thynni ad Auricornu, vulgò *Chrysocezar*, descedunt, ubi eos Byzantini capiunt, Chalcedonensibus vero fere nulla piscatio. 4 *Crocias* rete in crucis formam contextum, quo mundi cardines quattuor cuspidibus indicantur. 5 Totum Thynnagril corpus, quod nostri *la Tsava* vocant. 6 *La Sala*, retis centrum.

Pars petat Occasum, pars altera vergat Eoo:  
 Anchoraque è ferro tibi plurima firmet adunco  
 Carceris alti gyrum, & lethiferum Labyrinthum.  
 Ast ubi jacta, natans leve signet in æquore suber,  
 Profuit interdum durà pro cuspide, saxa  
 Mittere; nanque etiam fundantur retia faxis.  
 Insuper, extremæ Zephyrum quà respicit Aula:  
 Angulus, in textusque 1 Procæton iungitur olli,  
 Illinc Thynnagris vicina in litora 2 Caudam  
 Extendes, ærata mari quam dente tenaci  
 Anchora, vel jactæ sustentent gurgite rupes:  
 In transversa ferant Thygni, ne fortè ruentes,  
 Dum celeres urgent vaga signa, citantque natatus,  
 Extremâ pariter Septem quà parte Triones  
 Eoam 3 Conclave petit, prælonga sub Arctos  
 Inque latus dextrum, sedemque reflexa rubentem  
 Retibus è solidis extenditur altera 4 Cauda:  
 Et saxis, ferrove simul munitur adunco.  
 Vertice in extremo Caudæ sinuosa revolve  
 Eoam in sedem contorto 5 Dyctia gyro:  
 Nanque oculo spectant dextro quia litora Thygni,  
 Dum placidum læti pingunt falis æquor: & illis  
 Os tenerum Natura dedit (mirabile dictu,  
 Unius impatiens contingi pollicis ictu)  
 Idcirco occurrunt dum retibus, ora reflectunt:  
 Atque retroverſi sua per vestigia, textum  
 Spontè dolum subeunt, & ineluctabile fatum.  
 Non secus Euronoton quà respicit insula, rete  
 In latus intorques geminum Conclavis Eoi.  
 Nimirum roseo surgens quà sibilat Ortu  
 Eurus, & imbrifero quà turbine personat Auster,  
 Et quadro pariter deduces retia plexu:  
 Inque alrà firmabis aqua, quà Vesperis attri  
 Aspectat gelidam Conclave Lycaonis ursam.  
 Nam Tattesiaco qua Sol caput amne recondit,  
 Thynnagris protensa jacet pars 6 ultima, pisces  
 Collectos Piscator ubi cæditque, capitque.

Et ancho-  
 ris firmen-  
 da.

Thygni dex-  
 tro oculo  
 terram spe-  
 ctant: te-  
 rerrimum,  
 & illis os  
 est.

His

1 Anticamera di Ponente. 2 La Coda della Tonnara. 3 La Cama-  
 va di Levante. 4 Il Codardo 5 Il Risorto del Codardo 6 La Cama-  
 va della morte.

*Thynnus-  
pex quibus  
signis ex  
alio venit-  
ses Thyn-  
nos depre-  
hendat.*

His super in lembo non longè à retibus ipse  
Thynnuspex 1, cui sorte datum observare Cybias  
Agmine densato venientes, atque canoris  
Carminibus dare signa, vigil consistat, & illi  
Assiduè latus omne maris prospectet, aperto  
Ludentes vario thynni si fortè natatu  
Incipiant Pelago descendere. Tum citus omnes  
Impèret, ut pueri properent, cymbæque fugaces.  
Sed quibus indicis cetè deprendere possit,  
Expeditam: tranquilla silent dum marmora ventis  
Si cani fluctus, vitreique per aëra rores  
Sparguntur, Delphines arant, Thynnive Profundum.  
Aut verò Engraules si denso examine currunt,  
Cæruleis vel falsa super volitaverit alis  
Mergus, & è saxis cantu compellat amicas  
In prædam fulicas, pleno descendere cætu  
Thynnidas aspicias: quoniam pacata per alta

*Thynni Tri-  
chias infe-  
bantur.*

Ducere amant choreas, & lento ludere Ponto:  
Atque inter lusus amor unus, & una voluptas  
Venari Trichias, ventrisque explere latratum.  
Et Trichias 2 mergi pariter, fulicæque marinæ  
Sectantur, replentque escis felicibus alyum.

*Ut & Mer-  
gi, Fulicæ,*

At quia prædantes Engraulem impunè per æquor  
Nativis norunt stimulis agitare Cybias:  
Cetibus idcirco volitant de li: core visis.

*Quo modo  
Thynnorum  
venatio pe-  
ragenda.*

His actis, ubi jam tempus procedere in armis  
Bellatum campo pubem, & spolia ampla referre,  
Veloci ternus lembo 3 Cetarius adstet  
Pervigil Eoi conclusa ad 4 limina septi.  
Quò puer, ut magno properare sub agmine Cete  
Conspicit, adducto confestim vimine, valuam  
Pandat, ut ingressæ referata per ostia rurnæ  
Carceris 5 Eoi medio spipetur. Ab aùla  
Verum si soli venient, ne clausa relaxet

Li-

1 Piscator ille, qui venientes Thynnos observat. 2 Smergo aves  
marinæ 3 mergendo dicitur: ut sunt etiam fulicæ. 3 Tunnaroto, qui  
piscationi Thynnorum dat operam; Thynni enim cetè appellantur;  
cum ex illorum genere sint. 4 Vulgo Porta Chiara. 5 Camera dicitur  
Levanis.



Limina, per maculas quoniam postrema subibunt  
 Retia sponse sua. Læva qua parte patescit  
 Ampla Procætonis, sed stricto janua textu,  
 Stent seni gemina in cymba, qui carceris ardent  
 Ostia, cum densi vallum petiere manipuli:  
 Inde 1 duces subiti moneant: qui lintre recurrens  
 Inclusos textu pisces agat agmen in unum:  
 Atque hinc in dextrum mittat conclave coactos.  
 Non secus Occiduo seni stent carcere lembi,  
 Et solers agat excubias 2 Thynnarius antè  
 Hesperium Septi limen: sed plurimus aula  
 Enatet in media lintre; cumque aspicit intus  
 Orcynos hinc, inde vago percurrere cursu,  
 Nec tandem in geminum se se detrudere cassem,  
 In medium conversa diem quæ lata patescit,  
 Ocyus occludat 3 valvam, nec stricta repandat  
 Ostia, ni cætus sit carcere clausus utroque.

At verò Superis cum præda faventibus ingens  
 In textum ruit, atque omnis late insula fervet,  
 Thynnagrium pueri, junctis ad munera lembis,  
 Deprimere in fluctus certent, quibus incubat: & sex  
 E duro torti spartho, domitoque sub undis  
 Dyctia prægrandes teneant, longique 4 rudentes,  
 Quos & suberibus multis, mixtimque plicatis  
 Nantia sex totidem super alta volumina fundent.  
 Binaque Tynnagrii fluitantem gurgite valvam  
 Sulentent pariter glomerata volumina nodis.

Quod superest, ubi veloces ad retia cymbæ  
 Convenere, virique una certare parati,  
 Bis deni portam, subductis funibus, Aulæ  
 Occludant senis delati lintribus: at qui  
 Dux operi primus superassidet, 5 at hore vectus,  
 Et quatuor sociis comitatus, retia circum  
 Excurrat, celerique fuga simul omnia lustret.  
 Cenfeat & numerum 6 Tritonum, & corpora pendat,

K At

*Ducis fo-  
 lerita, cum  
 ceddi am  
 Thynni.*

1 Qui operi præest, *il Rais* Arabica nomenclatura indigitatur.  
 2 Idem, qui cætarus, quasi Thynnorum venationi insitens. 3 *Fa-  
 varico* Siculis dicta est. 4 *Napani*. 5 Hanc cymbam siculi *Muscio-  
 va* nuncupant. 6 Sic appellantur magni Thynni.

At si quã retis diffuso vimine corpus  
 Spectat hians, socios sarciri prorinus illud  
 Imperet, interea prora piscator ab ipsa  
 Palladiz ponto guttas infundat olivæ,  
 Ut magis undosi clarescant tectã profundì.  
 At si parcere amor liquido, venator, olivo:  
 Erue, dum capitur, crySTALLINA lumina Thynno:  
 Inque avulsa vadum radio demitte: repente  
 Tota serenato fiet nitidissima fundo  
 Tethys, & in penitis cernes, quæcunque latebant.  
 Interdum filo suspensum proderit orbem  
 In medias nitidum collidere sæpius alnos:  
 Nam depicta gregem tibi deteget Iris opacum.

Hæc cum prælitterit dux impiger, agmen in unum  
 Per longos late casses errantia cogat  
 Armenta: hinc fortem bellatum accedere pubem  
 Imperet, & dictis nutantia pectora firmet.  
 Extemplo lapidum jactu, & clamore secundo  
 Ex Oriente fugent, turuique ad Vesperis oram,  
 Inque Proceronem compellant agmina Nautæ.  
 Huc ubi perventum, referata per ostia claustri,  
 Perque aulam cogant mediam succedere lævum,  
 Carceris in septum, cætus quò cogitur, & quò  
 Cum lapidum jactu, sonituque exterritus omnis  
 Devenere, citi juvenes lata ostia claudant,  
 Hesperium lethi queis se ⁊ conclave cubili  
 Adne&it: tali piscantes nomine dicunt  
 Ultima Thynnagrii loca cæca, tricuspide ferro  
 Sævus ubi captum perdit Cetarius agmen.  
 Hinc geminæ claustrum ingressæ lethale catinæ:  
 Hæc levis ad claustri valvæ se sistat. & illa  
 Adversa statione, ipsoque in limine septi.  
 Mox geminos imo tolli de gurgite funes  
 Continuo pubem dux imperet: inde rudentes  
 Quattuor & reliquos bini subducere lembi  
 E latere adverso contentur, ut omnis ab alto  
 Muralis ceu tela mari consurgat in auras  
 Thynnagrii moles, & tectã supernatet undis.

Post

*Qua dili-  
 gentia at-  
 tollenda sit  
 machina.*

Post hinc alato dux circumveſtus in alno  
 Singula Thynnagrij curſu loca præpete luſtret,  
 Atque animos dictis accendens excitet iras:  
 Spondeat & prædam ingentem, pretiumque labori.  
 Mox faciat belli ſignum, Diviſque vocatis,  
 Ipſe manu primus velocem inſtorqueat haſtam.  
 Exemplo ducis in Thynnos generoſa juvenus  
 Tela citi jaciant, iterentque in vulnere vulnus:  
 Atque obluſtantes lætè cædantque, necentque:  
 Et cæſa in ſocias deducant corpora cymbas  
 Aeratis appreſſa uncis, ferrove bicorni.  
 Aſt ubi jam multà lembi ſub cæde fatiſcunt,  
 Optatam læti veſcent ad litora prædam.  
 Qualiter adverſos cum jam ſterit agmen in hoſtes,  
 Spumanti ſubveſtus equo dux ſingula viſit  
 Cornua, & ardentes diſtriſtis enſibus alas:  
 Peſtoraque irritat dictis, & ſufficit iras:  
 Speque novas addit vires, animumque miniſtrat.  
 Hinc ruit, & primus ferro ſtipata laceſſit  
 Agmina, lethalique volans furit enſe tremendus.  
 Confeſſim poſt terga ducis ſuccenſus in hoſtem  
 Præcipitat ſe miles, acutaque ſpicula vibrat:  
 Diſpergitque acies, cæſoque ex hoſte ſuperbus  
 Ingentes in caſtra trahit viſtricia prædas.

At non OEbalia Thynnum Piſcator in unda  
 Tam magno captat ſumptu, tantoque labore.  
 At quibus (Herculeo nam me vidiffe Tarento  
 Cum dites peterem Daunos, & Iapygis oram,  
 Jam memini, tantique juvat meminiffe laboris)  
 Artibus expediam. Dextro tu numine Vati  
 Da faciles auras, FRANCISCE, tuiſque ſecunda  
 Auſpiciis, quæ magna leves incœpta Camœnæ

K 2

Par-

*Ducis ora-  
 tione fir-  
 mandi ani-  
 mi: Et ex-  
 plo dato jã  
 belli ſigno.  
 venatio pe-  
 ragenda.*

*Qua artiẽ  
 Thynnor  
 Tarentini  
 piſcantur.*

*Ad Taren-  
 tinum Ar-  
 chiepiſca-  
 pam Apo-  
 ſtrophe.*

1 FRANCISCVS PIGNATELLVS Archiepiſcopus Tarentinus Vi-  
 bonentium ducis, Hiſpanicęque magnatis ter maximi Germanus. Vir  
 tot, tantique virtutibus, egregiuſque animi dotibus conſpicuus, ut  
 meritò ambigas an majorem à nobiliſſimo ſanguine traxerit gloriam,  
 quam ſibi ſapientia, vigilantia, comitate prudentiaque ac regia pene  
 munificentia comparaverit. ad omnium animos ſibi officiis prome-  
 rendos unicè factus: & propter ſingularem in Vates, ac literatus hu-  
 mines humanitatem, ac benevolentiam immortalitate digniſſimus.

Partheniz conantur: age & tu Phœbus Apollo  
 Castalios aperi fontes: totumque repostis  
 Ex adytis Helicon, nemusque repande beatum  
 Cantanti, & sacri venias tu carminis author:  
 Tu trepidæ Cynofura ratis: tu Tiphys: & ipse  
 Piscanti læto niteas felicior astro.  
 Nanque Phalanthæi magnus si pastor ovilis  
 Pascis oves terris mox eransmissurus Olympum:  
 Ipse etiam formosus oves ad flumina pastor  
 Delius Amphrysi pavit sub Thessala Tempe:  
 Qui modo non calamos, non dedignatur & hamos.  
 Fors erit (ò utinam fortunent Numina vota)  
 Ut post emensas Alpes, Arctoaque regna:  
 Aut, placeat magis, ad Regem Legatus Iberum  
 Veneris, & Patris dederis responsa Latini,  
 Ausoniam sospes, dominamque reversus ad Urbem,  
 Romuleo fulgens ostro, insignisque Galero  
 Accedas plectro vati cantandus eburno.  
 Interea bonus æquoreas ne despice Musas.

*Piscationis  
 modus: ex-  
 genitur.*

Ut primùm è summo tecinii custodia saxo  
 Lubrica stipato properare sub agmine Cete,  
 Ingenti textu compacta è cannabe torta,  
 E geminis hinc inde gripis de puppe iuventus  
 Retia solvit: erunt queis margine nexa profundo  
 Grandia saxa gravi pro plumbo, ut fixa sub imo  
 Pondere stent fundo graviore: frequentius amplo  
 Hinc ubi jam circo magnos cinxere Cybias;  
 Et simul in curvo fundarunt litore funes  
 Hinc, illinc: coëant ne retia forsân in unum.  
 Ingenti in terras nisu sinuosa reducunt  
 Dyëtia, quæ litus cum devenere propinquum,  
 Si per arenosos tractus, mollesque trahantur,  
 Interius textu cingunt squamosa secundo  
 Agmina, & angusto concludunt Thynnida gyro.  
 Hinc primò medijs in fluctibus orbe relicto,  
 Ne qui fortè cito dilapsi indagine saltu  
 Evadant breviorè, graves ad litora casses  
 Adducunt, terras quæ cum venere, sub æquor  
 Piscantes nudi descendunt corpora, Thynnis  
 Cœlucaturis: caudamque valentiùs ipsam

Vi multa appendunt dextrâ, stringuntque tenaces :  
 Quandoquidem cauda pollent fortissima Cete .  
 Inque 1 gripos lævâ trudent, validoque lacerto,  
 Vesùm si duris sint aspera litora faxis,  
 Lethiferum Ponto dictum cognomine 2 rete  
 Credunt: èque ipsi resrahunt de gurgite cymbis.  
 Hoc, velut extensâ refupinos syndone Thynnus  
 Accipiunt: onerantque opato pondere lintres .

Quin etiam Oebaliis mos est in carcere captos  
 Orcynos servare diù: cumque ipsa petit res,  
 Educunt, vñnumque ferunt castella per alta.  
 Illud at intereâ cura majore cavendum,  
 Ne noctu ardentés tollantur vertice tædæ:  
 Nam nitidâ Thynnus face territus, ilicet omnem  
 Disrumpet lætè textum, quò liber ab arcto  
 Carcere diffugiat, lucemque evitet iniquam .  
 Idque malè pariter metuendum, spumea surgas  
 Tempestas si fortè mari: fluctuque canoro  
 Pulsatæ resonent cautes, & litora plangant:  
 Nam rauci fugit impatiens stridoris, in altum  
 Thynnus, & obiectum disrumpit corpore vallum.

Sed Palatinis digno me viscere mentis  
 Usque peregrinis revocas, Acipenser, ab undis,  
 Qui quondam Graio fueras sermone Silurus:  
 At nunc Germanis Surio, Gallisque vocaris:  
 Quo cive Austriacus decurrit rite superbus  
 Ister, & in tanto jactat se Rhenus alumno,  
 Et Padus, & Liger, & Mæotidis unda paludis .  
 At quæ regali species, Tyrrhene, natanti:  
 (Nanque etiam Tibri est, domina donatus & Urbe)  
 Accipe. De vexos tereti qui corpore fluctus  
 Exuperat cursu, & fugientia flumina tranat,  
 Oblongusque, scaberque curem, & cervice quadrata:  
 Gibber & in dorsum surgit, viridique smaragdo  
 Concolor: argento sed lævi candicat aluo:  
 Armaturque gravi rostro, rostroque decora  
 Pendet barba, nitent roseo ceu vellera Mullo:

K 3 Ve-

*Thynni can-  
da fortissi-  
mi.*

*In ipso ven-  
tibus lon-  
gum asser-  
vantur.*

*Territus  
Thynnus  
facit .*

*Et fragorâ*

*Quibus in  
fluvio ver-  
setur Acip-  
enser.*

*Illius des-  
criptio.*

1 Genus cymbæ piscatoriæ apud Tarentinos. 2 La rete della morte .

150 HALIEVTICORVM

Vetum patpuro flavescit viscere dives:  
 Totus & ossiculis durefcit corpora, cæterus  
 Flumineos inter non ultimus ille Silurus.  
 Quem frustra, rigidus quamquam, venaberis hamo,  
 Piscator; l. to quoniam non devorat escam  
 Gusture: sed tenuem lambendo fugit ab illa  
 Humorem: vel subter aquis cænosa profundis  
 Effodit ore, suis de more, cibumque requirit.  
 Interdum rore, & limosa pascitur undâ.

*Retibus capiendus, & quo modo.* Casse igitur magno, validoque sonora secundum  
 Flumina decipies solertior. at prius illud  
 Mente tibi multa curandum: retia piscem  
 Ne claudant ad versa: latus stipentque, premantque:  
 Nam secus herbosam veniens captivus in actam  
 Dyctia disrumpet quamvis fortissima: tantum

*Ingens illi.* Olli robur, aquas fluvii dum potat amici.  
*vi.* Insuper in sicco dum ventri innititur, ingens  
 Vis, piscatorem rigidæ quo verberare caudæ  
 Sternat humi feriens, & forti dividit ipso  
 Interdum palos ictu, contosque valentes:  
 Percussoque simul de marmore decutit ignem.  
 In latus idcirco, puer, inclinare memento.

*Quo usque Rhenicis capiuntur.* Sed quibus Eridano in magno, Rhenoque bicorni  
 Artibus inquiras prædam, Piscator, opimam,  
 Da faciles aures, res est non multa, docebo.  
 Tres, quatuorve cito descendant remige cymbæ  
 In fluvium molli de margine: mox ubi nantem  
 Incertum hæc illac per flumina lata Silurum  
 Conspexere, ruant taciti post terga sequentes:  
 Donec odorifero florentes gramine ripas  
 Lætus habet propior, seseque crepidine sistit,  
 Quâ brevis unda, vadoque sonans effunditur amnis,  
 Tunc magno clamore strepant, sonituque lacessant  
 Eydæra confestim nautæ, quo territus actam,  
 Inque vadum sese pellat, quâ nulla potestas  
 Remigio vitare manum piscantis, & hastam.

*A Pannonicis fuscina fuscina.* At qui Danubii potant vada, quique Tibiscum,  
 Sopitos molli ferro jaculantur arenâ.  
 Pectotum quamvis Acipenser nobilis annum  
 Captetur, flavoque exornet nectare mensas:

Sol-

Solstitio tamen in medio, puer, herbida propter  
 Flumina quære illum solertior; ubere quando  
 Pinguefcit læto dulciffimus, inter ut ipfa  
 Magnorum apponi poffit convivia Divum,  
 Pro dia ambrosia, & divini nectaris haufu.

*Quo tempo-  
 pore feli-  
 cior pifca-  
 tio.*

At neque te patiar grassantem impunè per Iſtrum,  
 Glani: Sed in viridi cædam te cuspide ripâ,  
 Aut hamo potiùs. Hùc ò tu, Myfe, docendus  
 Campano propera Vari, si multa cupidò  
 Extimulat prædæ pectus, vel gloria tangit.  
 Principio, curvoque jugo, binisque juvencis  
 Danubium ad magnum venies, quâ commoda fedes  
 Fallendis tibi vifa feris. Hic sub juga primùm  
 Mitte boves, medioque jugi mox vellera nodo  
 Torta liga, capitique adverso funis acutum  
 Cum toſto tauri nectes pulmone tridentem.  
 Hinc fluvio demitte: sedensque crepidine ripæ  
 Expectare juvat venientem Glanida fundo.  
 Cumque atram tenet ore necem, tu vimine tortò  
 Avertes à fonte boves: mora nulla, tremendum  
 Aspicias. bellum: malè sano faucibus icu  
 Hinc Glanis validus funem trahet, inde juvenci  
 Adnixi cervice ferent: hic pulvere campus  
 Excuffus fervet: spumis hinc, concitus Iſter  
 Albet, & horrifonis reboant ſtridoribus undæ.  
 At tu nè ceſſes ſtimulis urgete juvencos,  
 Donec vi multa veniet, ſtaſtusque dolore  
 In viridem Glanis ripam captivus ab Iſtro.

*Glanidia  
 venatio.*

Perge, tridentiferi rursus ſpumosa peramus  
 Regna Dei, vitreæque ſonantia Doridos antra,  
 Flumineis egreſſi è fluctibus: inque feroces  
 Bella Canes, Galeosque truces horrenda feramus.  
 Quæ loca. Centrines habitant cænosa, Canesque  
 Lintre peres, plumbumque mari demitte, retorto  
 Cui catulus ſilo patria de gente revinctus  
 Albus erit, vivus caudâ, qui verberet undas.  
 Ut catulum ſpectant Galei, volat omnis ab imo  
 Agglomerata cohors Galeorum, & dira Canum vis  
 Auxilium latura: gravi tu cuspide turbam

*Et Canum.*

*Quorum  
mira in  
Mors pietas.*

Dede neci, aut lino potius comprende, rotundo.  
Nec captura levis: totam dispergere gentem,  
Aut Hypocha, aut ferro poteris; nanque omnibus una  
Mens est, invito socium subducere letho.  
Si nequeant, petiisse iuvat, pereunte sodali.  
Tantus amor gentris, servanda & gloria gentis.  
Non secus adverso Regem si Marte cohortes  
Hostiles inter delapsam, inimicaque tela  
Conspexere, volant excussi fulminis instar,  
Densaæ sociorum acies per tela, per hostes,  
Vique viam, ferroque secant, mortemque laceffunt:  
Defendant ut Fata duci: quod iniqua negabunt  
Si Divum decreta, & non revocabilis ordo,  
Jucundum cum Rege mori, & laudabile ducunt.  
Hic amor, hæc dominoque fides præstanda. Sed ò qui  
Nunc mea vocali ludentes murmure venti  
Vela implent, patrioque averrunt litore puppim?  
In medium fert aura diem: retroque sonantes  
Præstani fugiunt fluctus. Age nota Pelori

*Gladiatorum  
piscario.*

Æquora, 1 Scyllæumque, sinumque petamus Orestis.  
Nosco omen: Ziphix jam me mucrone laceffunt:  
Egregiamque parant belli sub fine coronam.

*Ad Ruf-  
fadam.*

Huc mecum propetes, nostræ spes inclita Musæ,  
RUFFIADE 2 generose, precor: Sunt hæc mihi quædo  
Auspiciis incœpta tuis. Tu prælia, & arma,  
Et Gladiorum iras vati narrare solebas,  
Dum vectus piæo Rhægina ex urbe phælo,  
Scyllæum, tē visurus, tua regna, petebat.  
Quare age, quas olim properanda in carmina vires  
Spontē dabas, vati modo suffice: te quoque possit  
Tollere ut æterno ventura in sæcula cantu.  
At tu Parthenix decus immortale Camœnæ  
Adûs, CARDENIDE, pugnat bonus arbiteri idemque

*Et Carde-  
niden A-  
postrophe.*

Auc-

1 Oppidum Calabriæ contra Pelorum a Scylla dictum, ex quo siculi  
æstus exordiu. vulgo *Lo Sciglio*. 2 FRANCISCUS M. RVFFVS Scyl-  
læi Princeps, Sinopolis Comes &c. ex antiquissimo Equestri ordine, &  
factibus, & maiorum gestis illustris: vir moribus antiquis, pietateque  
conspicuis, dignus qui aureo Italiæ sæculo nasceretur. cui se pluri-  
mis adstrictum beneficiis vates proficitur.



Auctor: & Ipse mihi per te sit dexter Apollo.  
 Quin etiam magnis si mentem avertere curis,  
 Et juvat ingenti rerum subducere mole  
 Defessos interdum animos, hunc protinus infer  
 Magnanimos gressus; nam sunt te Principe digna,  
 Quæ modo cæruleis dabimus spectacula scenis.

Postquam Thynnariidæ vultus texere decoros,  
 Solstitio properante, leves ad pabula currunt  
 Turmatim Ponti præter vada, perque sonantes  
 Ægæi fluctus Ziphix, trans Joniumque  
 In Scyllæa vago contendunt marmora cursu.  
 Subter ubi densis frondescit sylva viretis,  
 Assimiles Quernæ bacchas quæ plurima glandi  
 Procreat, & longos extendit in æquore ramos.  
 His Gladios vesci baccis certissima fama,  
 Utque suos læto nimium grandescere succo.  
 Quin etiam vesca perhibent hac Thynnida bacca  
 Pelamydem, Orcynumque, atque hac gaudere Cybias.  
 Ergo ubi jam candens aperit bipatentia Cancer  
 Limina portarum, chelisque tubentibus ardet  
 Bellarum campo venies, Piscator, aquoso:  
 Sed quibus armatus telis, condisce, priusquam  
 Inscius alta petas. bis senis missile palmis  
 Fac hastile, cui pennatum confere ferrum:  
 Illius & geminæ valeant inflectier alæ  
 In se se, pernix dum piscem transigit ictus.  
 Sic facile irrumper, penitusque in viscera monstri  
 Descendet, pennisque tenax hærebit hiulcis.  
 Funis in adversa laxandus parte ligerur,  
 Ut semel intortum revocare à gurgite ferrum,  
 Captivamque unâ possis deducere prædam.  
 His super oblongam, velocemque instrue cymbam,  
 Quâ citus in campum venias jaculator: & illam  
 Quattuor impellat pubes fortissima remis,  
 Sint geminique breves, reliqui se corpore longo  
 Extendant, quibus ipsa volet velocior Euro,  
 Inque latus verti possit, voluique carina,  
 Altior in medio confurgat malus ad auras,  
 Cuius in extremo venator vertice fidens  
 Omnem latè aciem, & sumida æquora circumspiciet.

Hit

Quo tem-  
 pore Gla-  
 dii ad pa-  
 bula ve-  
 niant.

Sylva ma-  
 rina scyl-  
 leo in ma-  
 ri.

Ex quibus  
 baccas Gla-  
 dii, Thynni-  
 que depac-  
 scuntur.

Quo tem-  
 pore incu-  
 da piscatio.

Teli des-  
 criptio.

Et cymba.

## 154 HALIEV TICORVM

*Custos ex-  
cubias ha-  
beat.*

His actis, summo vicini è culmine montis  
Excubias speculator agat: qui pervigil omnem  
Exploret latè tractum, & maria alta: natantes  
Quotque ruant Gladii ponti de vertice: vel quo  
Densari canum depingant ordine marmor:  
E Mundique plaga cursu quà prepete currant.

*Venientem  
moneat un-  
de Gladii  
ruant.*

An Ixam, dextramve secent: veniant ne Pelori  
Angusta de fauce, nigrique è finibus Austri:  
An Borea comitante Poli de sede nivosa:  
Anne æstu saliant adverso, an flumine prono  
Descendant, celerine petant cava litora saltu:

*Qui graio  
cantu capi  
feruntur.*

Argolico signet cantu, numerisque canoris:  
Argolico quoniam concentu, & carmine Graio,  
Mira quidem, Ziphiaz ducique, trahique feruntur.  
Scilicet hi quondam Sigæa ad litora missi

*Mirmido-  
num in  
Gladios  
metamor-  
phosis.*

Mirmidones fuerant socii armipotentis Achillei:  
Fraude venenato quem postquam perfidus icu  
Occidit Paris orantem ad delubra Minervæ,  
Conjugii falsa spe captum, protinus illi  
Vulturi manes defuncti Regis, in æquor  
Insilvere Phryges contra, Regemque superhum.  
Cum verò in campum nolent descendere Troes,  
In subitam pulsî rabiem, cæcumque furorem,  
Præcipientes undis se demisere marinis.

At quæ Sigæo tunc litore flebat Achillem  
In pisces miserata Thetis mutavit, & enses  
Jussit habere, manu quem tunc pugnantem tenebant:  
In longumque acie rostrum conflavit acuta.

Sed jam clara dies, Zephyrique loquacibus auris  
Invitant, summoque casis custodia colle  
Adventare feras: curva è statione sub altum  
Confestim juvat ire, marique excurrere aperto:  
Et nisi Ziphias, & acuto figere ferro

*Venationis  
exordium,  
soraque se-  
ries descri-  
bitur.*

In primis, speculator iter quà carmine monstrat,  
Remigio sociorum impulsa citissima pinus  
Corripiat per falsa fugam: celerique sagitta  
Sibilet, atque Euro velocior. ipse supremo  
Venator malo insistat, partesque per omnes  
Se vertat: si fortè feram conspexerit: & alto  
Qua Ziphias properare monet de vertice custos,

Im-

Imperet intendi cursum, pelagoque volari,  
 Sive iter ad dextram carpendum, sive sinistram:  
 Seu sit opus rectâ Gladios perstringere puppi.  
 Cum propiora tenet Galeora, citissimus ipse  
 In proram malo saltet venator ab alto:  
 Rectus & insitat: cui mox fortissima stringat  
 Dextera, velocem jam jam missura sagittam.  
 Hinc ubi jam telijactum stetit obuius intra,  
 Et fluctus supra Ziphias subsultat, ibi hastam  
 Expediat nisu valido, glomusque resolvat  
 Illicet è cymba, ferrumque in vulnere linquat.  
 Continuo furet ille, latus transfixus, & irâ  
 Fervidus insurget bello: totusque cruento  
 Intendet mucrone minas, lateque per undas  
 Spumeus ore, velut turbo, voluetur, ab Austro  
 Cum ruit, & rapidis freta turgida submovet alis,  
 Insiliet, salietque: latusque adversa frequenter  
 Excutiet, membris si fors lethale venenum  
 Evomat infelix. frustra tamen: usque tenaci  
 Cuspide defixum hæret ineluctabile telum.  
 Hæc, illac igitur rabie, impulsusque dolore  
 Multa furens sese devolvat: & acrior hostem  
 Exerto mucrone petet: tu sedulus arce  
 Remigio puppim celeri: secus ille bisulco  
 Aggressus tenuem scindet mucrone carinam,  
 Aut multo latus obvertet violentior ictu.  
 Sed jam lassus ubi languet, ceditque dolori:  
 Atque minas sensim ponit moriturus, & iras,  
 Illicet aggredere, & revocato è gurgite lino,  
 Vi nulla ex animi plausu potieris ovanti.  
 Non secus ac magnum mediis in saltibus aprum  
 Cum venatores densi petiere sagittis:  
 Confossus jaculo fremit ille: & dente minaci  
 Excursat circa rapidus, si forte virum quem  
 Impetat audaci morsu, cædemque reponat.  
 Contra illi longo tendunt venabula ferro,  
 Horrisonoque arcent bombo, & clamore secundo:  
 Quo tandem cursu exhaustus, fusoque cruore  
 Stratus humi jaceat moriturus: ibi agmine factò

Gladii lu-  
 ba cum  
 sauciatur.

Ag-

Aggrediuntur aprum densi: lorisque revinctum  
Opertam gaudent sub tecta reducere prædam.

*Quo tem-  
pore ad Si-  
culum li-  
tus fiat ve-  
natio.*

Sed ruit interea, ruit implacabilis æstas:  
Atque iterum Ziphia freta per conclusa Pelori  
Descendunt, patrii repetentes æquora Ponti:  
Perque latus Siculum ventoque, æstuque feruntur.  
Trinacriam idcirco venies, piscator, ad oram  
Litore ab Aufonio, & Scyllæa ab sede profectus,  
Cum jam torret agros sitientes Syrius, & cum  
Fervidus ingenti irarum Leo fluctuat æstu:  
Victor ubi Gladios longo insectabere ferro.  
Ast humiles quoniam, longæque à litore colles  
Intonsi surgunt, refluo natet æquore Pinus,  
Illius equè sinu sese longissimus auris  
Malus agat: mediusque inter carchedia custos  
Humida prospectans Neptuni regna, monebit,  
Quaque ruant Gladii: & quæ scindere Nerea conis  
Conveniat, longos & circumflectere cursus.

*Insignis ve-  
nationis ab  
Authore  
visa des-  
criptio.*

Sed prius à Zephyris, quàm murmure pulsa secundo  
Vela legam, diteſque obvertam ad litora puppes,  
Non quam Scyllæo prospexi in gurgite quondam,  
Indictam nostro transibo carmine pugnam.  
Puniceis inveſta rotis Aurora coruscum  
Extulerat caput Oceano, latèque rubebat,  
Cùm sociis comitatus (erant Lidorus, & Anthus,  
Florentes pueri ætate, & virtutibus ambo:  
Carminibusque potens Anthus, Lidorus avena.  
Hos vati ingenui mores, & amica juventæ  
Simplicitas, geniusque pio copulavit amore)  
Inveſtus picto Rhægino à litore lembo,  
RUFFADE, tua regna peto, viſurus aquoſæ  
Tethyos in campo miræ ſpectacula pugnæ.  
Hic primum te convenio, teſtumque ſuperbura  
Manè ſalutarum ſubeo: tu limine in ipſo  
Occutris, vatemque ſinu amplexaris amico:  
Lidorumque unâ, & pulchrum complecteris Anthum.  
Inde domi multo poſtquam ſermone locuti,  
In litus læti properamus: ubi aureus undis  
Innabat lembus, cælatus & undique ſignis  
Dedaleis, latèque auro fulgebat & oſtro.

*Regii lem-  
bi descrip-  
tio.*

Qua-

Quatuor in media surgebant sede columnæ  
 Cæruleis signis intextæ, & floribus aureis:  
 Plurimus inque auro cælatus desuper asser  
 Transversum impositus, mollemque inflexus in arcum  
 Fornicis instar erat: rubroque imbuta veneno  
 Strata dabat supra tectum Melibœa coruscum  
 Purpura, Phœbeos longè pulsura calores:  
 Perque latus fulvo contexta è vellere Zona  
 Inferius demissa, ligataque plurima tæniis:  
 Plurima & infertis fluitabat lucida villis.  
 Ipsa etiam roseo pubes fulgebat amictu,  
 Prompta coloratis impellere cærulea remis  
 Æquora, & alatos cursu prævertere ventos,  
 Sed jam Regali suscepti Nerea lembo  
 Sulcamus, camposque citi properamus in udos,  
 Multus erat venator ubi pugnare paratus.

Continuò signum speculator ab arce suprema  
 Fecit, & ad dextram sulcate, ò, Dorida, dixit.  
 Corruptum iter extemplo, dextraque profundum  
 Adductis vertunt pubes generosa lacertis.  
 Spumea jam longo caneant mamora fulco  
 Pulsa retrò: focii, tum, lævam currite remis,  
 Protinus exclamat custodia: nec mora, nautæ  
 Continuò lævamque tenent, & Nerea verrunt.  
 Ut propius ventum est, Ziphias sese citus aufert,  
 Atque iter in Zephyrum deflectit: vertice ab alto  
 Tunc Zephyrùmque peti custos; rectaque secari  
 Admonet: in Zephyrum fuga fit, pelagoque volatur.  
 Hinc ubi jam retrò Gladius sua colla reflectit:  
 Et cursum retrò flecti iubet, inque rubentes  
 Auroræ properare domus: mora nulla, juventus  
 Intorquet cursus, & litora stringit Eoa.  
 Vix tantum pelagi puppis confecerat æquor,  
 E duro quantum nervo volat acta sagitta:  
 Cùm prora insistens jaculator conspicit hostem  
 Instantem celeri saltu, & propiora tenentem.  
 O, inhibite fugam, citus inquit: & ocyor ipse  
 Intorquet dextra ferrum læthale: sed ictus  
 Incastrum cecidit: subito quia sub freta saltu

*Venationis  
 hypostiposis.*

Im-

158 HALIEUTICORUM

Immersit Ziphias pronum caput. ille repente  
Indignatus aquis hastile educit ab altis  
Utque iterum saltu rediit Galeota secundo,  
Emitit ferrum: laterique infigit. ibi omnis  
Spectantium favor exortus, plaususque theatri  
Et mirus centum celebratur laudibus ictus:  
Dignus cui plena circum spectante corona  
Plauderet Augustus Cæsar, Parrumque Senatus,  
Et plebs, victor io, streperet Romana, triumphe.  
Sed graviora vocant belli spectacula vatem.

F I N I S.







F. Solimone Jr.

H. Vincent Jr.





# HALIEUTICORUM

## LIBER VII.

**N**unc age, trans Calpen piscatum immania Cete  
 Ire juvat, gelidumque Poli penetrare sub axem.  
 Vos mihi, vos Divæ, quibus alti marmora pōti,  
 Et prona obsequiis pontigens horrida parer,  
 Pandite sepōstum spumosi gurgitis antrum,  
 Quo Cete, & turpes Phocæ stabulantur, & Orcæ:  
 Quo & per liquidos campos, saltusque profundos  
 Neptuni pastor Proteus armenta reducat:  
 Et piscatorum vos prælia dicite, & arma.  
 Tuque aded, qui vasta regis miracula Nerei,  
 Et diæti, iram spumantia, pe&ora placas,  
 O adsis mihi, SABERIDE: tu numine vatem  
 Inspira, & magnis jam nunc allabere cœptis.

Oceani in primis quæ sint Neptunia monstra,  
 Quam varia, & quantis veniant diversa figuris:  
 Qui mores, vitæque colant quæ Doridos antra,  
 Expediam. 1 Cete sunt grandia corpora: quales  
 Insulæ Egæo in magno, quæ gurgite quondam  
 Ex imo (si fama patrum fert vera per aures)

*Belluarum  
 descriptio.*

Emet-

---

1 Animantia universa, quæ in aquis degunt vel branchias habent, vel pulmonem, quæ branchias, quia ob sanguinis paucitatem frigidiuscula sunt sola aqua indigent, ut respirent; hinc illis branchias ad respirandum natura dedit: isthæc autem omnia. pisces appellamus. Quæ verò pulmonem habent sanguine abundant, atque ob id calidiora sunt, quapropter aere, opus habent, ut aliorum sanguineorum more spirent, nec diutius, quam par est in aqua contineri possunt, quin suffocentur: idcirco supra aquam sæpe emergunt ad aerem atrahendum: dormiuntque erecto capite. hæc autem Cete vocant Latini belluæ, etiam, & feras marinas nuncupant.

160 HALIEUTICORUM

Emerfere : diuque vagæ per cœrula nantes  
 Europes circum errarunt, atque Afidis oras .  
 Talia inaccessis in rupibus haud creat horrens  
 Caucasus, aut Rhodope, Riphæaque, non Erymanthi  
 Umbrosus vertex, nigrique cacumina Tauri:  
 Non & Carmani saltus, Hircanaque tellus:  
 Arida nec Libye desertis nutrit arenis,

*Magna in  
 mari bel-  
 lisa .*

Quamvis illa parens sit portentosa ferarum.  
 Usque adeò magnis factum est animantibus æquor:  
 Et fecunda feras, & monstra immania Cete  
 Progignit vastis in fluctibus Amphitrite.  
 Sunt, quæ se longa dum veftant mole per undas,  
 Quinquaginta patent cubitis, mirabile dictu.

*Magnitu-  
 dinq̄ ingens .*

His & adhuc majora sinu Thetis inda profundo  
 Condit, & Arctoo poscit sub gurgite Proteus.  
 Jugera terna maris (quis crederet?) occupat ingens

*Plinius.*

Bellua: majores etiam tenuere 1 quaterna .  
 Non densis horrent squamis intecta : neque illis  
 Aspera pellis , apro veluti, cui plurima setis  
 Terga rigent: solido sed convoluntur amictu

*Corio se-  
 gantur .*

Intexto è corio præduro: lora reciso  
 Quo fiant magnis ducendis molibus apta .  
 Immensum caput, ætherias ceu turtis in auras  
 Tollitur, horrendum visu: cui fistula summo

*Fistula qua  
 ærem  
 attrahant .*

Est apici, assidue potas quæ devomit undas  
 Ingenti clangore : velut de rupibus altis  
 Cum per depressas labuntur flumina valles.  
 Naribus his tenuem Cæli spirabilis auram  
 Accipiunt: nimio quia turgent sanguine Cete,  
 Ætheris afflatu vitam ducuntque, soventque.  
 Non multo reliqui persusi sanguine pisces  
 Cæruleos sorbent squamosis follibus amnes.  
 Subter aperta patent horrentia dentibus ora,  
 Antra velut : longi referunt hastilia dentes:  
 Hinc alios refupina petunt , sua pabula, pisces.  
 Consilio factum naturæ, ut grandia vertunt  
 Dum se monstra, citi fugiant è faucibus illi .

Pro-

1 Massarius interpretatur nongentorum sexaginta pedum longi-  
 tudinem .

Provida ni mater fecisset, edacia Cete,  
 Quæ nimium malesana fames exercet edendi,  
 Tempore non longo pelagi genus omne necassent:  
 Cætera membra, quibus formantur corpora, solers  
 Interius, humana velut, Natura creavit.  
 Immenso pulmone bibunt spirabilis auræ  
 Particulam, multusque ambit præcordia sanguis.  
 Grandia prædurus succingit pectora thorax,  
 Cui vel 1 sternon inest, vertebra, & musculus: hepar  
 Est quoque quadrupedum similis formæque, coloremque  
 Et nervi, nimiaque caro pinguedine turget.  
 At Balænarum pinguisima corpora, pisces  
 Continuo quoniam prælato gutture mandunt,  
 Ignea vis illis est plurima: neve labore  
 Exercent sua membra maris sed gurgite cæco  
 Otia longa terunt: cæu magna sub ilicibus sus  
 Frona vorans glandes, & quæ se voluit eodem  
 Pigra luto: fecunda suis Campania quales  
 Nutrit agris. nunquam verò concrefcit aquosa  
 Pinguedo: diluta magis quia fervet ab igne.

Plurima gignendi vis est, nubuntque frequentes:  
 Et lætæ gaudent utero grandescere matres.  
 Conceptos edunt maturo tempore sætus:  
 Charaque distentis lactant sua pignora mammis.  
 Sollicitè matrem per cæcula ponè sequuntur  
 Pernices cursu catuli: cæu florea propter  
 Rura capram teneri sociant balatibus hædi.  
 Illa suis, mirandus amor, circumtegit alis,  
 Imbellemque fovet sobolem, incurfuque tuetur  
 Hostili, ponitque suo pro pignore vitam.

Hinc & digressus, quatuorplex genus omne ferarum,  
 Et sua cuique insit generi quæ forma, docebo.  
 Ingentes primò præcellunt corpore 2 Pristes,  
 Et 3 Phyceteres cum turrigeris 4 Balænis.

L In-

1 Sternon Græcis dicta inferlor pars thoracis, quod Cete è piscibus  
 tantu habet. 2 Græci à secædo vocant, vel, ut aliis placet, à hædo. 3 Quasi  
 Plator, quia scilicet nimiosam aquarum illuviem affando è situla  
 evabret. Nostris utraque hæc bellua Capodoglio, dicitur. Hispanis, &  
 Santonibus *Marfaba* Gallis *Mular*, & *Calderon*. 4 Italis *Balena*, Gal-  
 lis *Elena*. Hisp. *Vallena*.

*Interiora  
 humanitæ  
 millima.*

*Balæna mo-  
 ta desider.*

*Catulus pa-  
 riuus, & e-  
 ducans.*

*Et tuentur*

*Quam va-  
 rium fera-  
 rum genus.*

162 HALIËUTICORUM

Indetruces 1 Orca, 2 Phocæque, horrendaq; Serra,  
Phocænzque 4 leves, & cærulei Delphines.

Balæna de-  
scriptio.

Grandis cyaneo fulgè Balæna colore:  
Marmoræum candet pectus, lixa tergora nigris  
Interdum punctis spectantur: & humida fronte,  
Non exerta ramèn, duplici stat fistula hiatu:  
Et pinnas, utrinque unam, tenet: altera dorso,  
Ala velut magna, inserta est: qua dirigit omnem  
Corporis immensû molem, curritque per æquor.  
Lunatam extendit caudam: remonis & instar  
Hæc totum inflectit corpus, cursumque gubernat.

Et Physeta,  
sic.

Qui magnus mole insequitur, pater ore tremendo  
Physeter, magnosque illo imbres afflat aquarum,  
Navigia alta quibus citus obruat, ala que dorso  
Nulla: sed interdum tollens se ræsus in auras,  
Antennas super assurgit, nebulosæque longè  
Atque abrupta velut rupes spectatur, & hortens:  
Territat & nautas, & Cete territat ipsa.  
Dentibus infrendit magnis, nervosæque lingua,  
Qualiter immenso truncus se prodiit ab antro.

Quæ de  
Pristis.

Horrida quæ longo, & serrato bellua dorso  
Occurret tibi, piscator, cognomine Pristin  
Grajugenæ dicunt, ceteri quia marmora cursu  
Lata secat fugiens, volucrique simillima vento est.  
Ast Indi Oceano in magno, gentesque repostæ  
Vivellam, ut memoraant, Serram dixere Latinis  
Serrato quoniam præcellit plurima rostro.  
Sex pinnis alata volat: stant corpore binæ  
In medio, binæque insunt sub podico, quinta  
Extremo erigitur dorso levîa, ultima tandem  
Definit in caudam: cutis aspera: fuscus in alto  
Tergore stat color, & patulo sub ventre nivalis:  
Os tenue, at duri, & præacuta cuspide dentes.

Est

1 Orca & Capidoglio. Hisp. *Tinat*. Gallis *Qudre* acrasa utris forma, & *Spanzare*. ad Oceanam vero Gallicum Orca, Phocæna, & Delphinus *Marsuin*, vulgo appellantur. 2 Nostris *Vitello marino*. Hisp. *Lobo de la mar*; nimirum lupus marinus. Gallis *Veau de mer*. At Provincialibus, & Liguribus *Boue marino*. 3 Pristis species, quæ in capite serram habet. 4 Turfionem alii vocant. Delphino similis est, etsi minor, speciemque delphini faciunt: eodemque appellatur nomine.

Est etiam fera sæva mari, quæ fronte sub alta  
Horrendam sussum præterdit in ætra ferrame  
Qualis Atlantæ quondam per carula ponti  
Visa fuit, faciemque tremenda, hirsutaque barbam.

Oceani Ser-  
va barbata.

Quæ subeunt, Oryges Graio sermone, Latino  
Appellat Orcas: pingui quæ mole tumescunt  
Corpora: sed sumæ rostrum, sursumque nepandum:  
Cætera Delphino similes, pinnamque, cutemque:  
Quæ tota est glabra, & nimio lævore polita:  
In dorso livor, caeterque in ventre, subetque:  
Cæruleumque latus, lunataque cauda nigrescit.

Orcæ des-  
criptio.

At nunc quæ maria atra ferant vastissima Cete  
Exponam. Nulla Euxinis generantur in undis:  
Et caræ Egæum monstris, conclusaque Tethys.  
Interdum tamen irrumpunt angusta per ora  
Herculis Oceano: ex alto: Libyæque secundum  
Litora vellicant, vel libera: vagoque natatu  
Nonnunquam Syriæ caeteras vastantur in oras.

Quibus in  
locis tel-  
lura nasci-  
tur.

At vasa Atlante in magno fera monstra, & Rubroque  
Oceano, atque undis lævæ gignantur Eois.

Oceanus tamen Arctous, concretæque Doris  
Innumeras monstrorum acies, densasque cæteræ  
Educat: hic magnis est fecundum mare monstris:

Et ant. p. h-  
res in Ar-  
ctoo mari.

Nimirum quia pinguis cum nigrae fluctus  
Frigore densati mutuo, spissumque pruinis  
Non tenuis rorem desudat: desuper hæbet  
Uber & hinc succos, & nutrimenta ministrat.

Pictones, Armoricique, tenentur iniquæ alta nivales  
Litora Noruagi, Batavusque ferocios, & qui  
Divisè toto penitus sunt Orbe Britanni,

At cætoam supra metam, propiusque sub axem  
Niphadiam & veniunt, vicinaque litora, magni

L 2

Qua

Ad Ni-  
phadiam  
ingens pis-  
catio.

1 Totà ea orientalis Oceani pars quæ inter Africam, & Indiam intra  
Gangem peninsulam, Persidemque alluit, rubrum mare appellata est,  
est præse mare rubrum Arabico sinus sit. 2 Regio ortu borealis  
anno: 1596. detecta, quæ à præcætiæ mœnibus, vericibus æterna nive  
obstitis Spisberg appellatur: nos græco vocabulo Niphadiam. ad  
hanc Balenarum piscationem maximè quætuosam exercent. conveniunt  
ad piscandum plures quam centum naves. Farnetius Geogra-  
phiz tom. 1. cap. 8.

Qua nive p̄perpetuò montes stipantur acuta.  
 Huc autem properant piscatum maxima Cete,  
 Exiguas ubi solstitio Sol fecerit umbras;  
 Nam tunc Oceani tandem concreta liquefcunt  
 Carula, continuò cum Sol versatur in Orbem  
 Alta super maria, & nunquam caput æquore condit,  
 Ni tribus exactis per multa volumina Signis.

Alit insueta vocans piscantem in prælia Mavors  
 Armatus vitreo stat in æquore: sævus & hastam  
 Concutit: ergo alacris bello se protinus omnis  
 Accingat pubes generosa: citæque carinz.

*Teli des-  
 criptio.*

Sed prius arma tibi quæ sint formanda, docebo.  
 Dimidio latum pede telum, altumque duobus,  
 Cui lævis mucro, inque aciem cuneatus adhæsit:  
 At gemina in mediùm teli, quæ tendit utrinque  
 Linea mucronem sit rasilis: insit & olli  
 Attenuata velut Sicana novacula cuspis:  
 Inscere & hastili telum, quod deinde juventus  
 Stringat ovans: micet ore: feramque in bella laceffat.

*Quo Indi-  
 cio custos  
 Balænam  
 deprehendat.*

Interea custos specula sublimis ab alta  
 Observet tardò cum se Balæna natatu  
 Promovet, & pelagi circum cava litora curfat.  
 Hoc autem certo poterit cognoscere signo:  
 Scilicet è medio si gurgite cernit ad astra  
 Attolli, & largis dispergi toribus undam.  
 E magno velut assurgit vibrata canali  
 Nais, ubi summo de vertice fluxit in imam  
 Tellurem, saliensque altum petit æra rursus.  
 Ut vigil è celso vidit custodia saxo.

*Qua arte  
 telis feriatur.*

Balænam, lituo det signum: protinus omnis  
 Piscantum manus undoso de litore solvat  
 Arma agitans animo: ceu cum dedit æte canoro  
 Inceperans belli signum tuba Martis: in arma  
 Effusa irrupunt acies, & prælia prima  
 Accendunt, telisque invadunt cominus hostem.  
 Ut propius monstro jam successere catervæ,  
 Plurimus in protis adstans jaculator, acutum  
 Expediat dextra ferrum, nisi que valenti  
 Pellem adigat subter duram, penitusque recondat,  
 Quò molles subeat venas, & viscera viva.

Re-

Remigio hinc omnes celeri, & velocius ipsis  
 Proripiant sese ventis, laxentque rudentem.  
 Nanque ubi læthiferum suscepit pectore vulnus  
 Bellua: confestim magno cruciata dolore  
 Ingentem nimbum, tempestatemque tremendam  
 Conciet, & totum vertet de gurgite pontum.  
 Saucia si pelagi fugiens petat alta natata  
 Actutum Balæna, citus tu, nauta, secato  
 Demissum è navi funem, ne fortè carinam  
 Invertat, dum per medias se proripit undas:  
 Incassum quoniam cecidit labor omnis: & extra  
 Non lentè intortum penetravit ad intima telum.  
 At si confestim subsidens Nerea subter  
 Descendat, læti vos spem præsumite belli.  
 Nam penitus nervum subit immedicabile vulnus.  
 Quin etiam falsa stimulatam Naiade monstrum,  
 Vulneribus quæ se insinuat, scinditque dolorem,  
 Neptuni fundo dum se affricat, intus acerbum  
 Altius infigit telum, invitumque morantem  
 Accelerat pestem. profusus corpore sanguis  
 Nuncius adveniet lætus piscantibus. Orca  
 Viribus interea lapsis, vitæque labante,  
 Ut datur, irrepit fundo, terræque propinquat.  
 Ergo ubi jam monstrum consurgere cernis ab undâ,  
 Una omnes ruite in prædam, ferroque trifulco  
 Cædite. sylvosos veluti leo saucius inter  
 Cum saltus hæsit, intricatosque recessus,  
 Stipati in iaculis, & pelle Libystidis Ursæ,  
 Invadunt duri Gramantes, & ærea vibrant  
 Spicula, solicitique addunt in vulnere vulnusi  
 Emoriens donec vix palpitet. Ergo ubi vitam  
 Permixtam roseo sud it Balæna cruore,  
 Victores magnam spumosa è Doride prædam  
 Ducetis, lætum sociis pœna canentes.  
 Sed jam subsequitur labor alter, & altera belli  
 Trahendi ratio: Tausino viscere, & hamo,  
 Utribus & magnæ subigendæ inanibus Orca.  
 Ergo tibi primum ferro cudatur adunco  
 Hamus: & intorto connectes ære catenæ:  
 Cui nodo validum denso subiunge rudentem.

*Sî fugiat,  
 non letali-  
 ter vulne-  
 rata.*

*At si sub-  
 fidat, m. v.  
 tale vul-  
 nus.*

*Ut terra  
 propior ca-  
 denda.*

*Ut hamo,  
 & utribus  
 Orca ca-  
 piantur.*

Verum sic duro laceretur. ferrea dente  
 Linea, per medium subactes plurimus orbes :  
 Qui rabidos monstri dentes folido ære retundant.  
 Aere mox tenui factos, ventoque tumentes  
 Appendat circa funem Cetarius utres :  
 Et religet firmis suæ per discrimina nodis.  
 His igitur telis instructus, & arbore longa,  
 Ut levis in prædas invitat sibilus: escam  
 Aut jecur, aut tauri scapulas da plurimus hamo:  
 Atque hamum Pistri da protinus. illa voraci  
 Ore dolum, mortemque bibet. tunc cæcus omnem  
 Transennam laxabis: in humida teque reduces  
 Litora, Balænae pugnam visurus inanem.  
 Nanque ubi jam ferro transfixum bellua guttur  
 Sentit, & effuso pelagus livere cruore,  
 Infrendens ira, ac riq̃ue irritata dolore,  
 Dentibus æratum rabidis conabitur orbem  
 Scindere: sed frustra multo conata labore  
 Tethyos in gremium demergitur, & simul ipsos  
 Nec quicquam contra obluantem deprimit utres.  
 Hic defessa latus per molles sternit arenas,  
 Atque brevem quærit requiem, ceditque dolori:  
 Infandumque gemens spumantes egerit undas.  
 Non secus ac sonipes multa luctatus arena,  
 Sole sub ardenti, cursuque exhaustus iniquo,  
 Ore vomit spumas, & frena tenacia mandit:  
 Atque ignem parulis è naribus afflat anhelus.  
 Nulla quies miseræ tamen est: nanque aere pleni  
 In summum semper nitentes ætheris utres  
 Tolluntur, pariterque feram super æquora multa  
 Vi rapiunt. ruit illa furens, utresque lacescit  
 Pone sequens: illi antevolant, supraque feruntur:  
 Et similes cedunt fugientibus. illa sed urget,  
 Ingeminatque iram, & vento contendit inani.  
 Ingenti donec lucta, sævoque dolore  
 Exanimata, tibi medio stert gurgite præda.

Sunt qui ne ratibus noceant incuribus Orca,  
 Obruat aut magnis emissum naribus æquor,  
 Monstrorum ex ipsa contexit pelle carinas:  
 Desuper & rectum consisternunt susile cymbæ.

Non

Et quæ affu.

Balæna lu-  
Et cum  
navibus.Navis ex  
pelle balæ-  
navium.



Non fecus ac illi faciunt, qui litora lustrant,  
 Creber ubi surgit nigro de marmore Magnes.  
 Qualis ad Arctos septem damnata Triones  
 Gens inculta virum glaciali cingitur unda.  
 Hic quia perpetuis candescunt arua pruinis,  
 Atque novem totos per menses aëre ningit,  
 Nulla Ceres flavo convellit culmine campos,  
 Non lætis Pomona comis, non palmite Bacchus  
 Umbrat humum viridi: & squallentes nulla per agros  
 Depascunt armenta: leves tantum  
 Aequora, perque nives decurrunt undique cani,  
 Et eadem duris minitantur dentibus Urſi.  
 Idcirco gens illa cibos, & cætera vitæ  
 Commoda venatu inquirit studiosa ferarum:  
 Omnis & in cæsa spes vitæ gentibus Orca est.  
 Agrestes è pelle casus: è pelle carinas  
 Compingunt: sunt ossa trabes: quæ litore fixa  
 Sustentant muros, pelliraque tecta domorum.  
 E tenui vestes aprunt sibi pelle, ferosque  
 In cultros dentes & caunt: pinguedine lychnos  
 Implent, & longas evincunt lumine noctes.  
 Ante focum reliquos artus, & viscera siccant:  
 Et siccata molunt, faciuntque è polline quadras,  
 Non concessa quibus Corealia dona repensent.  
 Scilicet ipsa homines solertes fecit egestas.  
 Nunc age, non id est lætæ, vastissima Cete  
 Ante præit ducor, qui sedulus indice caudæ  
 Cuncta maris loca læta feris præmonstrat, aquosum  
 Et præterdit iter, non hunc invita sequuntur  
 Oceani vaga monstra, seni ceu lumine capto  
 Præcedit socius puer indivisus eunti.  
 Ille manu ducit rapidum: regit ille labantem:  
 Et tutum prætertat iter, flexusque viarum  
 Intortos: vitat lapsus, & sicubi duri  
 Occurrunt lapides monet, turcursusque maligni.  
 Excolumemque donum sora jam nocte reponat.  
 Exiguo quoniam spectando lumine pollent  
 (Nanque supercillorum ingenti pondere pressa  
 Et nimia circum obduci pinguedine, fuscii  
 Caligant oculi) ductorem provida mater

*Arctos ve-  
 gionis gen-  
 tisque des-  
 criptio.*

*Cuius om-  
 nis vita  
 ratio à ce-  
 ribus pen-  
 det.*

*Ceti duc-*

*Bellæ oem-  
 lit labor-  
 rans.*

Idcirco Natura dedit, iussitque fideles  
Excubias agere, & casus arcere sinistros.  
Hic monstrat quã tuta via est, quæ prima petenda  
Sint loca, qui scopuli vitandi, abruptaque saxa,  
Insidias etiam piscantum, & prælia, & arma  
Præcavet, in secura feram seseque reducens.

*Idcirco præ-  
vio dufla-  
ve nasant.*  
Non invita Ducem sequitur Balæna, neque illum  
Luminibus procul ire sinit, nec deserit unquam.  
Verùm, mira fides, cum delabentia Cælo

*Quem noc-  
se ore reci-  
piunt.*  
Sydera, & optatos suasere silentia somnos,  
Accipit ore Ducem, & securum gutture condit,  
Tutius ut fauces inter det membra sopori.  
Hinc meritas homines condiscunt reddere grates,  
Officii si monstra pereat dispersus aperto.

At si fortè mari pereat dispersus aperto  
Ductor, & illa perit fido viduata magistro:  
Ut cæcus custode viæ, vitæque perempto.  
Erge omnem impendes operam, qua fallere primum  
Arte Ducem valeas, teque indè opponere monstro.

*Qui si ca-  
piunt, pevis  
Balæna.*  
Illecebris illum escarum captabis, & hamo.  
Quo capto, faciliè superabis inania Cete:

Quæ Duce sublato, per vasti spumea ponti  
Æquora jaçantur temere, incertoque natatu.  
Fluctuat amisso veluti temone carina:  
Qualis & excussus agitur currus habenis.

*Illius des-  
cripio.*  
Sed ne te fallat species, certissima dicam  
Signa Ducis. Qui piscis erit prælongus, & asper:  
Et squamis caret, at corio vestitur, & albet:  
Et capite oblongo, rostroque armatur acuto:  
At tenuis cauda est, angustaque, Musculus ille est:  
Qui pecus immensum Nerei per cærulea regna  
Temperat, exiguæ ductans moderamine caudæ.

Insuper his, tibi præcipio (& meminisse juvabit)  
Intendas ne bella mari; nam fortior ille,  
Tardus & ad cursum minus est, nullisque moratur

*Balæna sæ-  
misa faci-  
te capitur.*  
Obiicibus: verùm si sermina venerit alto  
Obvia, congregere, & pugnæ certamina prima  
Ingentis prædæ, & palmæ securus inibis.

Nam vel distento dilectos ubere sætus

Edu-

Educet, aut prægnans maiori turgeat alvo,  
 Est minus apta fugæ: nec se, prolemque tueri  
 Una potest: catulos sed custodire recentes  
 Dum studet, infelix se perdidit. est suus ipſis  
 Proliſ amor, pietasque feris, ut nulla recuſent  
 Fata, modò partus valeant ſervare cadendo.  
 Et non ipſi homines vitam pro pignore ponent?

Hactenus Arctico pugnâvimus æquore: vaſtum  
 Nunc trans Oceanum extremo ſub Sole repoſta  
 Ammericæ me læta vocat, quâ Florida regna  
 Ad primum converſa diem perflantur ab Euris:  
 Et nova quâ Septem gelido ſubiecta Trioni  
 Gallia frigoriſ denſis concreta rigeſcit.

Non acies piſcatorum, non plutiſ cymba  
 Arma cient in monſtra, haſtave tricuspide cædunt  
 Immanes acies: verùm, quis crederet? unuſ

In campum bellator adeſt, Piſtrinque laceſſit,  
 Non ferro, ſed conto auſus certare duello.

Tantus amor prædæ, tanta eſt audacia cordi.  
 Ergo levi cymba ſubvectus: nomine dicit  
 Gens patrio Canoem, qua non velocior ulla eſt:

Et gemino armatus conto, clavaque tremenduſ  
 Induſ in Oceani campum bellator apertum

Ingenti fidens animo procedit, ubi horrenda  
 Bellua ſtat, ſeſe turrिता mole ſub auras

E medio attollens pelago, mirabile viſu.

Aſt ubi Balænz propior ſucceſſit, & ipſam  
 Jam caudam tenet horrendam, ſe ſum cituſ alium

In dorſum de linte jactat, quem vellere torro  
 Continet, & longè prohibet per aperta vagari.

Paulatim mox ille feræ per tergora repens  
 Colla petit nodis, corioque rigentia duro.

Ac veluti generoſuſ Equuſ, interrituſ olli  
 Inſidet, & tanto fertur ductore per undaſ:

Et monſtro ludens ſimul hac diſcurſat, & illac.

Uſque adedò facileſ crebro redduntur ab uſu,  
 Quæ reſ difficileſ primùm: & minus horrida viſu

Terribileſ quondam formæ, atque immania monſtra.

Ipſaque dat magnaſ nonnunquam audacia vires.

Ut propior collo ſucceſſit, & ipſa petiſ reſ.

*Mira Ba-  
 lanarum  
 apud In-  
 dos piſcatio  
 Farnetiuſ  
 in Hydra-  
 graphia.*

*Qua arte  
 peragitur.*

Ilicet alternæ protento naris hiatus,  
 Bellua quo tenuem vitæ spirabilis auram  
 Ebibit, & potum revomens jactat æquor in astra,  
 Impiger immittit contum, penitusque sub imum  
 Vi subigit, truditque immenso pondere clavæ:  
 Occluditque viam vitæ. Bálzæna repente  
 Excutitur, magnoque furens stimolata dolore  
 Immensam ciet horrendo stridore procellam,  
 Turbatosque movet fluctus, cæloque remittit.  
 Qualiter Arctoa Boreas dum perfurit Ursâ,  
 Aut Norus Eoo mugit, vel aquaticus Auster  
 E medio tonat axe, cietque à gurgite pontum.  
 Ora sonant, frendunt dentes, turgescit anhelum  
 Pectus, & ingentem despumant corda furorem.  
 Nunc hac, nunc illac magno se corpore jactat  
 Irrequieta, latus, nodosaque tergora nutans.  
 Terribilis salit interdum, Cæloque propinquat,  
 Prærupus cælum mons, spumisque obnubilat astra:  
 Nunc cedens ruit in præceptis, Manesque laceffit.  
 Interea monstri confidentissimus Indus  
 Insidit collo piscator, & æquora quamvis  
 Plena ruant, magnoque insultet bestia motu,  
 Non dorso tamen excutitur, pronasve tabandis  
 Mergitur: at palmis, pedibusque valentibus hæret  
 Colla per, & nodos, & vi se colligit in se:  
 Impavidusque feræ rabiem contemnit & iram,  
 Horrendasque minas, & non placabile monstrum.  
 Non secus effreno sonipes cum perstrepat ore,  
 Despumatque iram ingentem, firnumque recusat,  
 Scat generosus Eques interritus, ille reluctans  
 Intendit cervice minas, & prælia magna.  
 Etigit indignans nunc se, frontemque superbam  
 Attollit, geminosque pedes ad sydera jactat:  
 Excussatque iugas, immensus & quatit armos.  
 Nunc retroque furens duplicatis calcibus instat,  
 Multa minans, crebroque sonans pede pulsat arenam.  
 Nunc saltu vibrat sese: mirabile visu,  
 Quamvis ille gravis sit in aere pendulus: & se  
 Sessoremque tenet, quem non conatibus illis  
 Excussit dorso, aut manibus detraxit habenas.

*Mira balæna iustia.*

*Piscatoris audacia.*

*Equi suavis descriptio.*

Ille etenim magnos animos, & pectora versans  
 Firmat se gemino consistens stapede rectus,  
 Et medio libratur equo: lorumque ministrans  
 Se regit ingenio solers, & mole sua stat.  
 Ergo inconcussus collo piscator iniquo  
 Insistens, ubi tempus agi rem potest, aquoso  
 Alterius contum naris detrudit hiatu,  
 Atque adigit clava, penitusque in viscera condit.  
 Hic interclusus vitæ spirabilis omnis  
 Aer est, totoque carens stat bellua sensu.  
 Victor at ille ligat contos, & fune prehensio,  
 Insilit in cymbam: sociosque, & litora visit.  
 Accipiunt illi victorem, & laudibus ornant,  
 Ac merita donant myrto pro talibus ausis.  
 Ceu quis Olympiaca venit cum victor ob ora,  
 Excipitur plausu sociorum, & lætus oyantes  
 It cætus inter viridi præciñctus olive.

At i Nepodes magno Phocæ præcarva boatu  
 Litora, vicinamque nemus, colleisque lacessunt:  
 Mutua nam terris celebrant commercia, & undis.  
 Maxillam virulo similes, dentesque rapaces,  
 Mugitumque ipsum, & nates, sed cætera pisces.  
 Ipsa quibus cervix brevis est, oblongaque colla:  
 Quæ simul extendunt, retrahuntque, ut cuiq; voluptas.  
 Sunt gemini, currique pedes, cæd' brachia, quinos  
 Divisa in digitos, cubiti tamen, ulnaque desunt.  
 At pectus latum, gibbosaque dorfa: sed auris  
 Nulla patet, corioque rigenti membra teguntur.  
 Canescunt in ventre, nigri, per cætera villi.  
 Interdum maculae in multis cernuntur, & illæ  
 Exiguæ: splendent oculi, variantque colores  
 Sese in mille: vobis variabilis lito Hyææ.  
 Tandem lingua rapax sese exeret ore bifurca.  
 Sed jam te prædæ cupidum, piscator, in arma  
 Aspicio, rigidosque manu vibrare eridentis:  
 Sed frustra expeditis oantum, ferrumque tricusps,  
 Ni docto primùm docearis rixæ magistro.

*Phoca descriptio.*

*Præcænis dicitur ferre ferre ferre ferre.*

Nam

1 Sic ab Homero vincti appellati, quibus pedibus nautæ.

Nam quia dura cutis ferro impenetrabilis omni,  
 Nequicquam, quamvis ingenti spicula mittes  
 Vi, feries monstrum: nam retrò ferrea tela  
 Pelle repercussa exilient: ceù marmora si quis  
 Dura petat jaculo, vel ahenea scuta laceffat.  
 In caput incuties ferrum, clavaque tremenda  
 Ictibus hoc unum crebris pulsare memento;  
 Nam fracta cervice perit, quæ pulvis una  
 Illidi, rigidave potest transfigier hasta.

*In capite  
 percussien-  
 dus.*

At quo, nauta, modo possis tutissimus illum  
 Venari, edoceam paucis. Dum nocte sub alta  
 Stellarum radiant orbes, suntque uda serena,  
 Egressi turpes spumoso è gurgite Phocæ,  
 Consuevere graves captare in litore somnos:  
 Sæpè etiam, Cœli metam dum lustrat anhelis  
 Phœbus equis, placido componunt membra sopore

*Dum nocte,  
 interduq;  
 in turris  
 dormit.*

Arbore sub patula, aut exesæ rupis in antro:  
 Ut sæpè ad colles nostri videre Mineræ,  
 Et cava Teleboum per saxa sonantia fluctu.  
 At quoniam brevia, & multa pinguedine densa  
 Colla tenent, refluisque patent obnoxia guttis;

*Gutta labo-  
 ras, aliusq;  
 fertis. Ari-  
 Rot. Plini-  
 us.*

Alæus ex imo sopiti gutture stertunt,  
 Ut credas mugire: sonus sed fractior ore  
 Personat, & fremitu sylvas malè pulsat opacas.  
 Quin & longa trahunt demersis tempora somno.  
 Ergo ubi scruposa Phocam sub rupe sonantem  
 Attenta bibis aure, cito aggrediere jacentem:  
 Atque hasta caput, aut bifida diffinde bipenni.  
 Et prædam referes victor. Sed murmure festo  
 Janque Euri levis aura ratem trans æquor Atlantis  
 Impulit, atque sinus devexit adusque repostos.  
 Quà nova monstra, novas & piscatoribus artes:  
 Nec non & piscis morem venantis, & acce  
 Ingenium, tenuique ingentes corpore vires,  
 Ac miranda quidem Naturæ arcana docebo.

*Manatis s-  
 ve bovis  
 America-  
 ni descrip-  
 tio.*

Est pecus Ammericæ in vasta, quæ fœdior ingens  
 Altera Neptuni non incolit æquor: & illam  
 Hispaniè manibus primi dixere 1 Manatem

In

1 Bellua Americani maris è genere cetaceo, cujus historia refertur  
 Carolus Clæus, li. 2, c. 10, Hisp. dicitur *Manati*, nobis *Bove marino*.

In terris de more bouum depascitur herbas  
 Et cervice bovi similis, vultuque pudendo,  
 Dentibus & parvis (vero quæ nomine nostris  
 Per Latium & circò appellabitur Ammericus Bos)  
 Crassior ad mentum tamen est, & tenuior ore:  
 Corporis at major moles, quæ ut maxima crevit  
 Viginti fit longa pedes: pectusque profundum.  
 Verum pube tenus, qua strictior, usque supremas  
 In pinnas caudæ gracilis: sed longior ipsa  
 Cauda est, & multum densa pinguedine pollet.  
 Sunt pedibus palmæ similes: quibus æquora nando  
 Alta secat: humeroque tenus nascuntur: & unciis  
 Unguibus armati digiti queis quattuor insunt.  
 Exigui sub fronte micant oculi, ipsaque turpis  
 Frons est, & corio tegitur, villoque nigranti.  
 Non illa Oceani tantum colit antra: sed ipsa  
 Sæpius ora subit fluviorum, & curva secundum  
 Litora fertur aquis in dulcibus, & sua quærens  
 Pabula, vicinas populatur gramine ripas:  
 Nativi sed roris amans de flumine nunquam,  
 Et nunquam egressa Oceano se credit arenis.  
 Mite bovi tamen ingenium, per stagna, lacusque  
 Ducitur, & manibus hominum mansuescere discit:  
 Atque vocantis heri vocem cognoscit, & illa  
 Audita, volat ex imo caput æquore tollens:  
 Eque manu in stagnum proiectas arripit escas.  
 Non veluti turpes ingrata obsonia Phocæ  
 Sufficiunt: verum felicia sumina læti,  
 Et niveo, sapidoque ministrant viscera succo:  
 Grata quibus magnis dent fercula regibus, inter  
 Dum proceres festis agitant convivia mensis.  
 Nunc age, quæ ratio capiendi piscis, & artem  
 Egregiam, & parvi quæ vis miranda Reverſi  
 Dicamus. Trunco vectus, remoque citato,  
 Instructusque arcu, atque hamatis, Inde, sagittis,  
 I, quæ Neptuni in vitreum Mars provocat æquor.  
 Hic verò, ut Phocam conspexeris alta petentem:  
 Nanque informe super nans tollit cærulea dorsum:  
 Hamatam citus ex arcu, nervoque sagittam  
 Emittes, certo quem si confeceris ictu,

Ex Oceano  
 fluvios sub-  
 bit.

Ingenio mi-  
 sit est.

Qua arte  
 illum Indi  
 venentur.

Qua

Quà vitulus fugiens se proripit, ilicet ipse  
 Confestim celeri propelles remige lintrem.  
 Hinc ubi profuso jam sanguine, fessus ad oram  
 Spontè sua veniet, refluus vel agentibus undis,  
 Conficies tandem victor. Sed mira Reverfi  
 Vis subit interea, & dura sine cuspide præda.

*Reverfi In-  
 dæi de sevi-  
 prio. Ex  
 Cluvio, &  
 Oviedo.*

Dives in Occiduo piscem Thetis amæ recondit,  
 Corpore qui parvo, & densatis undique pennis  
 Cingitur: æquoreus veluti concrevit Echinus,  
 Utque sagittifero se vestit Hericium Orbe.

*Ut cicur  
 fr.*

Sed licet exiguus, palmo non major: at ingens  
 Corpore in exili vis est, & præditus acri  
 Ingenio, docilisque hominum mitescere verbis,  
 Illecebrisque capi, & nostras comprehendere voces:  
 Tractarique manu, nutusque audire vocantis.  
 Non secus ac Elephas, & qui data Psittacus ore  
 Humana interdum conatur reddere verba.

*Et venator  
 acerrimus.*

At mirum ingenium venandi: robur & olli  
 Magnum est, & magnos, Neptunia monstra, Manates  
 Aggreditur magnis animis (quis crederet?) unus:  
 Impetit & latus, aut ventrem, se vique refigit,  
 Immissis monstri penitus sub viscera setis.  
 Ac velut ore feram tenuit si fortè Molossus  
 Venantum fremitu, cursuque accensus anhelò,  
 Haud unquam dimittet, herus ni proximus illam  
 Accedens jaculo confixerit, aut prius ipse  
 Discerpens toto spoliavit sanguine venas:  
 Non aliter ventri fixus, laterive Reverfus  
 Hæret, & apprenso nunquam se dimovet hoste,  
 Ni piscator ubi telo confoderit Indus:

*Vnde Re-  
 versus dic-  
 tus fr.*

Aut postquam victor, cæsoque ex hoste superbus,  
 Ipse tulit Domino prædam, & spolia ampla reverfus:  
 Hinc Indum nostri piscem dixere i Reversum.

*Ut eductus  
 fr.*

Quod superest, ubi jam docilis sub flore iuventæ  
 Piscis erit, primùm comprehensum retibus, undis  
 Educet æquoreis Indus piscator: & esca  
 Multus alar, vesci solitus qua fluctibus ille est.

Hinc

1. Barbari verò, qui Antillas insulas incolunt, apud quos frequens  
 venatio est, piscem *Guaican* vocant.



Hinc ubi venatu concrevit idoneus, & jam  
 Mitis ab assiduo, docilisque videbitur usu,  
 Plurimus adstringes radio, qui textus equino  
 Multiplicique pilo fuerit, longusque per undas  
 Ut procul educi valeat, mox inde reduci,  
 Cum res ipsa petit. Queis primum ritè peractis,  
 Cum jam bellâ animo meditaris, pisce recepto,  
 Tecum una celeri in cymba, venator, apertum  
 In campum venies, latèque per æquora cures:  
 Cæruleum manibus nantem si foris bovem quem  
 Aspectare datur, quem cum conspexeris, ore  
 Illicet incipies blando mulcere Reversum:  
 Utque animos gerat ingentes, & fortiter hostem  
 Aggrediarur: & ut lateri sua spicula figat,  
 Impiger, hortare, & dictis blandire, manūque  
 Leniter: his enim illecebris consurgit in arma  
 Acrior: atque animos dant mollia verba feroces.  
 His aq̄is, dimitte: volans mare liber in altum  
 Ocyus ille Notis, & Eois, ocyus Euris,  
 Irruet in prædam, & suâ spicula figet in alvo.  
 Qualis, ubi venator ademit vincula collo,  
 Erumpit canis, & montes prætervolat altos  
 Ut fugientem avidis comprehendat dentibus aprum.  
 Saucius infelix à venatore Reverso,  
 Hinc illinc vitulus, se vertet, & acribus actus  
 Errabit stimulis ponto vagus, usque morantem  
 Invalidus cæso lateri depellere pestem.  
 Quo tandem cursu multo, exhaustusque dolore,  
 In siccum veniet litus, ripæve propinquet:  
 Lætus ubi palma, & præda potieris opimâ:  
 Et venatorem multa cum laude Reversum  
 In puppim accipies reducem, festoque susurro  
 Perfolves dignas tanto pro munere grates.  
 At cum squamosum divellis ab hoste Molossum,  
 Id, cave ne facias vi plurimus, atque repente:  
 Sed sensum è præda retrahes, & molliter illum:  
 Nam secus, affixum, spinisque tenacibus actum  
 Discerpes: tantæ brutis animantibus iræ.

Hac non Ammericos tantum venaberis arte,  
 Inde, boves: cunctum genus aggrediere Reverso:

Cui.

*Atque in  
 hostem blè  
 dictis inci-  
 sandus,*

*Ut hostem  
 feriat,*

*Et villor  
 ad litus fe-  
 rat,*

Cui, vaga longinquum si præda feretur in æquor,  
Totum laxabis radium: nam suber in alto  
Nans erit inditium tibi certum. At quis vada rursus  
In conclusa tulit me ventus? Atlante relicto,  
Quis fortunati devexit ad ora Canopi?  
Me prædæ, me laudis amor, nec fallor, ad undam,  
Nile, tuam adverso terrarum ex Orbe reduxit.  
Cumque tuo mihi tantorum sub sine laborum  
Certandum 1 Crocodilo, & prælia dura gerendum.

*Crocodili  
descriptio.*

Monstrum informe ingens, quatuor cui crura, pedesq;  
Unguibus armati: magnum caput, ora que rictu  
Ingenti diducta patent: sed ahenea pellis  
Dura riget, medii sed pars mollissima ventris:  
Longior est cauda, & reliquum par corpus adæquat.  
At color in dorso croceus: nitet albida subter  
Alvus: acurique dentes, & pedinis instar.  
Cætera persimilis, detracta mole, læcerto:  
Nanque pedes, cubitoque solent (si vera feruntur)  
Vicenot crevisse: novoque inventus in Orbe  
Mole pedes centum longus, mirabile dictu.  
Nam non unus habet Nilus Crocodilon, Eois

*Quibus in  
locis nascen-  
tur.*

In fluviis etiam nascuntur, & Orbe reposito:  
Et Gis Æthiopum, & Zaireia flumina, & ipsi  
Interdum generat lacus deserta per alta  
Æstiferæ Libyæ, Asiæque, novumque per Orbem.  
At quicumque tenes felicis ditia Nili  
Litora, & æterno vernantes gramine ripas,  
Accipe difficiles artes, quibus horrida possis  
Dedere monstra neqi, meritoque ornariæ auro.  
Cum procul è fluvio in terram descendere pestem  
Videris, & longè per florea rura vagari

*Qua arte  
capiantur.*

Exemplò socios accerfes litore ab omni:  
Qui conis, curvisque ligonibus, atque bipenni  
Accutrant alacres. subitque hi falce recidant  
Frondeutes latè lucos, ramosque comantes:  
Hi cæsas vestent sylvas: alii que ligone  
Interea cryptam fodiant, quæ trita patefcit  
Semita Niliaci piscis: citus ipse sepulcrum

De.

1 Ab Ægyptus Champfa appellatur, nobis Crocodilo, Gall. Crocodile.

Desuper impositis ramorum fascibus omne  
 Intege, & effossam pariter super iniice terram;  
 Percipiarne fortè dolum Crocodilus, & astum  
 Declinet. mox cuncta manus vertatur ad ipsa  
 In terris impressa pedum vestigia monstri.  
 Quo tandem invento, litui clangore, tubæque,  
 Atque æris stridore, inconcinnoque tumultu  
 Territet. ille nova pulsus formidine retrò  
 In patrias Nili sua per vestigia ripas  
 Flectet iter fugiens: celeri tu ponè securus  
 Instabis cursu, & clamoribus astra laceffes.  
 At cum delapsus fuerit Crocodilus in antrum;  
 Continù aggredere, & jaculo, vel acinace Mauro  
 Dede neci: aut vivum poteris comprehendere longo  
 Cassè irretitum. Venandi tucior alter  
 Jam modus insequitur: Palum desige sub anne,  
 Et palo lenta tortum de cannabe funem  
 Convolue, ut faciliè possit laxariet: hamum  
 Vellere in extremo magnum religabis: & hædum  
 Pro dulci appones esca, caprùm ve bicornem.  
 Balatu pecudis mediò de fluminis alveo  
 Accitus veniet Crocodilus, & ore rapaci  
 Protinus obiectam ferro deglutiet escam.  
 Ille intra fauces penitus demissus hiantes  
 Lata bipennifero lacerabit guttura dente:  
 Balatuque tener simul obstrepet hœdus: ad oram  
 Audita tunc voce rues, piscator, ovilla:  
 Pronus & extemplo da capto, aut contrahe fanem,  
 Ora tridentifero donec discerptus ab unco,  
 Multa gemens nigras eat indignatus ad umbras.

At tibi si fortes animi, pectusque virile,  
 Et solers nandi studium foret, accola, Nili,  
 Non multo posses monstrum superare labore.  
 Talis in Ammerice quondam fuit Indus, ab acta  
 Bellua cui puerum, sua pignora, fortè reliquum  
 Abstulerat: procul illè abreptum litore natum  
 Ut vidit, multa subitus ruit igneus ita,  
 Ceu Leo, cui teneros cæco venator ab antro  
 Eripuit catulos: nulloque timore pericli  
 (Ipsa metum pietas pulsaverat: ipse volucres

M

Addi-

*Aliter ve-*  
*mandi mo-*  
*do.*

*Mirabilis*  
*Indi anda-*  
*cia, cui fera*  
*filium ab-*  
*stulerat. Eo*  
*servia ve-*  
*mandi ra-*  
*tio.*

Addiderat patrias pennas amor) inilit æquor  
 In medium: gladioque manu quem fortè gerebat,  
 Aggredatur, capuloque tenus sub ventre recondit.  
 Bèllua tunc ferro transfixa, crepidine ripæ  
 Semianimem locat infantem, refugitque sub undas.  
 Fortunatus at ille, Dij cui Numine dextro  
 Pro tantis favere ausis, & amore paterno,  
 Servata in ficcis sua pignora vidit arenis:  
 Accepitque sinu, & charis dedit oscula labris.  
 Ergo vadum subiens gladio, venator, acuto  
 Conspicies aluum ferro, qua Bellua cæsa  
 Occidet. Audaces nimium estis vos tamen, Iadi,  
 Aurea Virginis qui litora, quique tenetis  
 Muscosos pelagi campos, atque Herbida regna;  
 Innumeri quibus è fluvio, riuque tremendo  
 Egredi erumpunt Crocodili, atque omnia vastant.  
 Fortitan è belli studiis, usuque frequenti,  
 Aut inconsultis animis audacia tanta est.  
 Ora per, & ripas fluviorum è regmine querno  
 Rimosam fecere casam, qua pervigil unus  
 Excubias venator agit: cumque æquore spectat  
 Adventare feram, dat signum: protinus omnes  
 Horrendo clamore ruunt, atque arbore longa  
 Armati, velut hastili, fera prælia tentant.  
 Ingreditur contra riuu Crocodilus hianti,  
 Horrendum visu, ut prædam perat ore: sed illi  
 Faucibus immittunt truncum, subiguntque feroces  
 Copatu inpectus multo, subitique supinant,  
 Ferroque incidunt ventrem, & fera viscera nudant.  
 Sed jam post casus varios, bellique labores  
 Nos in saxa vocant Zephyri muscosa canori,  
 Annuit & placido Tethys blandita fufurro.

*Pugione  
 confodi-  
 tur.*

*Quomodo  
 ab Indis oc-  
 tidantur.*

F I N I S.





*H. Vincent Sculpe*



# HALIEUTICORUM

## LIBER VIII.

**M** Escopuli virides, & odora suavis herbis  
Litora, purpureoque ardentis murice Cōthæ  
Invitant, curæ quæ pars est altera nostræ.

Vos udæ rupes, & aquis lita saxa, canenti  
Aspirate, precor, Zephyrosque afflate salubres,  
Ut meritum vestro possim de munere fertum  
Ex humili, non plura autem, mihi texere myrro.

Et jam cantanti muscosæ è marmore cautes  
Assurgunt, plauduntque undis vada læta canoris,  
Spontè revulsa cavis è rupibus Ostrea cantu,  
Auritusque simul Turbo, & Conchylia pendens:  
Inclinantque suos non dura Corallia ramos.  
Ipsæ & Olympiades, pulchræque Dicarchides, & quæ  
Alta Bithecusæ tenuere cacumina, Divæ  
Jam celerant monstrare viam, vitreisque sub undis  
Lucida crystallo, & pendentia pumice testæ  
Pandere, & Oceani in penetralia ducere vatem.

Neptuni quæcunque tenent muscosa profunda  
Saxa, sub innumeris veniant visenda figuris,  
Et diversa modis crescit gens testea miris.  
Hæc falcata novæ referunt crescentia Lunæ  
Cornua, crustatoque tumescunt plurima gibbo.  
Verùm hæc dividuo sese distindere circo,  
Illa sed exacto gaudent ourvarier orbe.  
Sunt alia oblonga, & surgentia cruce sullo,  
Palma velut scabra vultuque tubete multa,  
Lævia sublucent illa, interfectaque crenis  
Tenuibus: auriti surgunt hæc turbinis instar,  
Asperaque, & rigido circum mucrone rigescunt.

*Diversa  
stellæ  
species des-  
cribuntur.*

180 HALIEUTICORUM

Pectinis instar habent dentato cortice concham  
 Illa: sed hæc duris horrescunt undique setis.  
 Hæc villo insignes: hæc sunt lanugine molli  
 Obducta, & musco pariter velantur odoro.  
 Præterea, variusque color, diversaque Conchis  
 Natura, & victus ratio non omnibus una est.  
 Singula quæ nostro poteris cognoscere vetstu.

*Ostrea des-  
 scriptio, &  
 quæ varia.*  
 Quare age, quæ primû, quibus & nascantur in undis  
 Ostrea 1, quoque modo piscaberis illa, docebo.  
 Se gemina mollis testa tegit Ostrea, gibbo  
 Concava quæ multo non est: tamen aspera sorder,

Et non æqua luto, tenuisque facillima scindi  
 Setilis in crustas, intusque argentea candet,  
 Et lævis, biforesque aperit pulcherrima valvas.  
 Est & lbera tamen rufo dorata colore,  
 Illyrica insignis fusco, Circæa nigrescit.  
 At non æquali cunctæ se mole per undas

Devolvunt: externa Thetis quas nutrit aperto  
 Oceano, ingenti grandescunt corpore Conchæ:  
 Proximæ in Egæis nant fluctibus: humida quæque  
 Tyrtheni, Superique secant vada, cæta minores  
 Saxa colunt musco, & densas stipantur in algas.

*Ubi que-  
 renda.*  
 Infuper his, non ex omni, piscator, arena  
 Ostrea dura leges: sed quæ vaga flumina cursu  
 In mare prorumpunt celeri, & quæ litora propter  
 Stagnantes siluere lacus, turpesque paludes,  
 Inque Thetin se subter agunt, & sicubi dulcis  
 Rivus aquæ sonat, aut pelago fons surgit ab imo:  
 Vel quæ sunt cæno loca pinguis, limus & ater  
 Plurimus aggeritur, muscusque, & decolor alga:  
 Nam quæ Naiades perflant, rivique sonantes,  
 Et pingui limus, spissaque uligine pascit,  
 Gustu grata magis, placidoque tenerrima succo.

*Quibus in  
 locis opti-  
 ma perve-  
 niant.*  
 Nec non & variis varia est Natura sub undis.  
 Quæ Circæa creat Thetis, opulma, quæque Minervæ  
 Dant saxa, & multo servat quæ Scylla latratu.  
 Sunt etiam laudanda, legunt quæ litora circum

Picto-

1 Ostroghe Nostris, Gall. Des Huîtres, Ouvres & Oestres. Hisp. Ostra de la mar.



Piſtones 1, 2 Armoriciq; 3 Eboriq; & 4 Sâtones, & quæ  
 Sicca Caledonius nonnunquam deſerit æſtus.

Parte alia accedunt, nigro quæ Boſphorus amne,  
 Quæ Propontis alit, pinguiffima: ſunt & opimi  
 Viſceris, oſtriferi quæ perluit æquor Abydi.  
 At cunctis meliora, & ſucco læta ſalubri  
 Oſtrea ſunt, bimaris quæ jaſſitat ora Tarenti:  
 Nam non è linio, craſſaque uligine ponti  
 Sponte ſua veniunt: ſed roſcidus æthere lapſus,  
 Ut perhibent, Conchis ſua ſemina ſufficit humor.

Sed quæ Neptuni populetur machina regnum,  
 Quoque inſtructa tibi referat felicia ferro  
 Oſtrea, dicamus. Sex primùm ꝑ lamina palmis  
 Longior è ferro fiet, digitis que quaternis  
 Latior: inque aciem frons attenuetur acutam.  
 Hac ſuper extremis adnexus ponitur arcus  
 Æreus, aut dura curvatus ab ilice: lamnæ  
 Hinc arcu in medio, geminoque à vertice triplex  
 E tenui circum tendatur virga metallo:  
 Quæque ſit incurva, & nexu copulentur eodem.  
 At mediæ, ex arcu quæ ducitur, annulus inſit,  
 Aut uncus, ſolido cui mobilis orbe rotundo  
 Armilla è ferro inferitur, quo machina longo  
 E ſpartho valeat religari, aut vimine torto.  
 His adis, contexta levi de cannabe curvo  
 Adnectes arcu, & ſubiectæ retia lamnæ  
 (Lamnæque ſit multo pertuſa foramine dorſum,  
 Rara quibus tenui conjunges retia lino)  
 Conifero tenuata ſinu. ſed tempus ab acta  
 Solvere, quæſitum Nerei per cæxula Conchas.

Postquam eſt in mare verſicoloris fertile teſtæ  
 Perventum, media è puppi, piſcator, in undas  
 Oſtrilegum demitte, leves ut radar arenas  
 Lamina, & incurvus ſtet rectus deſuper arcus:  
 Hinc ubi pauliſper cum lintre reſceſſeris ipſa,  
 Oſtrilegum de puppe ſtahes: ſic oſtrea ferrum,

M 3

Et

*Deſcribitur  
 machina,  
 qua Oſtrea  
 Tarentini  
 piſcantur.*

*Piſcandi  
 modus.*

1, 2, 3, 4, Galliz populi, qui ad Oceanum habitant, *Poſ-  
 ſiſſeri, Berriagna Santognæ.* 5 Hæc machina Tarentinis dicitur *iſt  
 Ferro, Gangamæ ſimilis eſt, nobis Oſtrilegum appellabitur.*

182 HALIEVTICORVM

Et quæcunque imo stant fundo in retia mittet.  
 Quod grave cum tandem deduxeris, ubere præda  
 Lætus eris, referesque Dijs pro munere grates.

Sed prius ostrilegum jacias quàm fluctibus, illud  
 In primis tibi fit cura majore notandum,  
 Scilicet ut varios Lunæ cognoscere vultus  
 Edifcas; nanque illa suo regit humida cursu  
 Æquora, & æquoreis fiunt quæcunque sub undis.  
 Ac velut exacto cum lucida fulgurat orbe,  
 Et niveos Phœbe currus agit, ubere sylvas  
 Fœcundo nutrit, & plenum plena refundit  
 Humorem plantis: teneroque uberrima succo  
 Poma replet, rigoque humectat gramina rore.  
 Non aliter pleno tunc lactat pinguis cornu  
 Ostrea multiplici fœcundans viscera partu.  
 At cum falcato vix cernitur aëre gyro,  
 Syderio vicina iugo, tunc Ostrea siccant  
 Vbera & è vacuz tenuantur lumine Lunæ.  
 Quin etiam, si vera canunt, animalia quæque  
 Luna vago regit Orbe, fibrisque infusa ministrat  
 Undantes plena humores, quos subtrahit, igni  
 Cum nitet exili, & lucis se nigra recondit.  
 Quæ cum hæc habeant sese, legere Ostrea, Luna  
 Accrescente, tibi, non deficiente, jubebo.

*Ostrea pro  
 vario Lunæ  
 aspectu cre-  
 scit decres-  
 cuntque.*

*Et solis ra-  
 dio replen-  
 tur.*

Præterea, id non te lateat, sunt Ostrea Solis  
 Imperio subiecta: fovet vitalibus ille  
 Cuncta suis radijs, & quæ per inane creantur,  
 Et gignit quæcunque Thetis, quæque humida Tellus,  
 Hinc æstate nova, cum fervidus æquora ponti  
 Permeat, atque imum se mittit ad usque profundum,  
 Felici replet prægnantes ubere Conchas.

*Qua arte  
 capiuntur  
 ab Illiryis*

Sed quibus illyrica testas piscator in acta  
 Artibus inquirat, dicamus. Curva secundum  
 Litora quæ duris stipantur plurima saxis  
 Cærulei frutices nascuntur, & herbida ponto  
 Sylva super viret, & ramos stat flexilis arbor.  
 His piscatores gravitantia vertice ramis  
 Saxa ligant: trahiturque plicabilis æquora subter  
 Ponderibus ramus: circum generantur in illo  
 Ostrea, & è læta sensim pinguedine turgent.

Hinc

Hinc postquam crevere, secatur forfice restis,  
 A surgitque mari ramus directus in auras:  
 Miraturque novos partus, & non sua poma.  
 Non secus Euboico faciunt in litore, Baias,  
 Quique tenent Baulos, Cumasque, sinumque Dicarchi,  
 Fagineos figunt contos, ubi pingua limo  
 Sunt loca: defixis crescunt Conchylia palis.

*Et Baias.*

At si fortè maris squallentes Ostrea fluctus  
 Rara ferant, sensimque ruat genus omne, neque ulla  
 Pabula dent rivi dulces: jam tempus, & ipsa  
 Hellepontiaci meminisse inventa Magistri,  
 Lacteus ut testas liquor edidit. alitius omnem  
 Obscura repetens revocabo ab origine famam.  
 Nam quà Bistonidum genus intractabile bello  
 Accolit Euxina resonantem Bosphoron unda,  
 Et quà lunatis circum secat æquora cymbis:  
 Et quà Bithynum vicinia perluit Helle,  
 Seston & hinc spumis, hinc litora plangit Abydi,  
 Hac piscatorum posita est spes omnis in arte.  
 Cùm sol æstate in prima Garamantas, & Indos  
 Fervidus accendit radijs, & sydus amicum  
 Janque recollectos terris ostenderit ignes,  
 Protinus ex ima generosa Propontide testa  
 Carpitur obscura sub nocte, poloque sereno.  
 Mox omnem pingui radunt de viscere ferro  
 Spondylon, & mundo convulsam pollice pressant:  
 Confestim niveum lac effluit. hinc ubi fulgens  
 Purpureis Aurora comis, bigaque rubenti  
 Oceano surgit, Cœlumque ardescit ab auro,  
 Muscosos inter scopulos, atque herbida saxa  
 Lacte serunt spatium, dicuntque sonantia verba  
 Hellepontiaco Nepruno, & tibi, Dori  
 Egæa: extemplo saxis, mirabile dictu!  
 Ostrea concrevunt, dulci felicia succo.  
 Ceu matutinus cùm terram introrat Eous,  
 Ut rores cepere sinu prægnantia matrum  
 Viscera, confestim Oceanitis ab ubere lacto.

*Qua ratio-  
 ne e lacte  
 fero con-  
 crevunt in  
 Proponti-  
 de.*

Lærior accrescit baccha, atque argentea candelæ  
Egregium pulchris torquem factura puellis.

Quis Deus hæc nobis, Divæ, quæ curritis Hellen,  
Tradidit inventa? unde hæc experientia cœpit?  
Postquam res Asiæ, Græcamque evertere gentem  
Immanes potuere i Scythæ, ceciditque superba  
Eoi sedes, altumque remugijt horrens  
Bosphorus, & tota tremefactus palluit unda,  
Illuvies Asiæ populos effusa per omnes,  
Corripuit Cæli tractus, terrasque veneno,  
Atq, hominû genus omne neci, genus omne animantû  
Dira dedit, sævitque mari crudelior alto:  
Perdidit & pisces, atque Ostrea perdidit ipsa.

*Vade semi-  
nandi ma-  
dus exor-  
diam cor-  
paris.*

Ergo ubi piscatum testas venator Amyntas  
Tendit, & ostriferi cautes scrutatur Abydi,  
Ostrea nulla videt, desertaque cærule passim  
Aspicit, & nullos innare per æquora pisces.

*Doridos  
Hellepontia  
Delubrum descri-  
bitur.*

Quo subito rerum casu percussus acerbo,  
Re super insueta scitatum oracula Divum,  
Dorin adit: refluz, Dorin, quæ præsidet Hellæ,  
Ægææque tuetur aquas. Stat rupe sub alta  
Threijcia tellure specus, cui desuper ingens  
Nereidum Matri sacrum nemus imminet: antro  
In medio delubra Deæ de marmore vivo  
Hellepontiaci quondam posuere coloni.  
At læva de parte duæ stant ære columnæ  
E solido, quas inter inest gravis ara metallo:  
Sed retro in gemino connexi cardine postes  
Insistunt inter suspensas ære columnas.  
Ex adamante micat cardo, riget ænea valva.  
Sponte sua, referunt, immoto cardine postes  
Expandi, subitoque unâ tremere omnia motu,  
Solicitis quando Dea fert oracula nautis.  
Vestibulum antè ipsum templi jam tristis Amyntas  
Constiterat genibus supplex, & talibus orsus,  
Affatur Divam diâis. Pulcherrima Dori,  
Quæ servas Hellen, altæque Propontidos undas,

*Amynta  
græcor.*

Et

1 Turcæ è Scytharum gente.

Et procul Ægæi fluctus hac rupe tueris,  
 Dic age, Dia, precor, læsi quæ Numinis ira  
 Perniciem tantam Conchis immisit, & omne  
 Perdidit æquorum ponti genus? undique squallent  
 Litora, & amissis vacuum mare piscibus omne est.  
 Anne parum Superis visum est, quod sanguine nostro  
 Non Asiæ tantum campi, non litora Thraces,  
 Sed latè Euxinus, indignatusque revinci  
 Bosphorus, & trepidæ rubuere Propontis, & Helle:  
 Nec satis Imperij sedem, tot & inclyta regna,  
 Et res Romanas Scythico cessisse tyranno?  
 Nec fuit indignum post horrida bella, necesseque  
 Atque ignominias, & tristia funera regum,  
 Ut torum malefana lues peruaderet Orbem,  
 Cuncta catervatim perdens, hominesque ferasque?  
 Scilicet ipsa darent etiam Dijs Ostrea pœnas.  
 Sed jam, ò Diva, tuum quoniam placabile Numen,  
 Sublapsis fer opem rebus, nutuque benigno  
 Annue, Dori, preces non averfata perentis.  
 Tu Dea Treijcium, tua Numina semper adorat  
 Nauta, per angustum qui navigat Hellespontum:  
 Et tua sæpe agimus diem ad donaria gazam.

Vix hæc piscator; confestim visa moveri  
 Rupes, & summa motare cacumina sylvæ.  
 Hinc geminæ patuere fores, Numenque reclusum,  
 Et clara ex adytis vox est audita repostis:  
 Quali Diva solet Factorum dicere causas,  
 Et longè rerum eventus aperire futuros.  
 Hæc autem intonuit: superum vos ira Deorum  
 Exercet, fastu quoniam spreveritis iniquo  
 Aternos illorum Ignem, Flammamque Triformem.  
 Nec jam missa lues nunc est revocabilis: omnes  
 Torpebunt Nerei fluctus, atque Ostrea nulla  
 Sponte sua gignent. donec post secula sera  
 Antiquos iterum Superis reddatis honores:  
 Cû domus AUSTRIADUM Babylona, Scythamq; superbû  
 Servitio premet, & victis dominabitur Indis,  
 Magnus Romana nascetur origine Cæsar,  
 Qui Scythicum Eoa regni de sede tyrannum  
 Ejiciet victor, ritusque & sacra reducet,

*Dea respicitur,  
 & variis  
 Austriaci  
 Casus*

Ac

Ac 1 septimgeminæ Byzanti turris in arce  
 Romanas Aquilas, victoris & arma Quirini  
 Restituet, veteresque Patrum de more triumphos  
 Lætus ager primus, lauroque decorus & ostro  
 Insignes ducet Capitolia ad alta Curules.  
 Ille & nimbiferi culmen transuectus Amani,  
 Euphratem super, & septemplex ostia Nili  
 Proferet Imperium: Solymæque assertor honores  
 Accipiet Divum, passique ad Numinis Urnam  
 Aeterni statuet monumentum in signe trophæi.  
 Illius adventu jam nunc Iesseia regna  
 Subsultant plausu populorum, & dives Idume,  
 Et plausu totis Jordanes murmurat undis.  
 Non tot Flaviades populos, non regna subegit,  
 Frerit Occiduum regem licet, aut Orientem  
 Placarit, regni que novam fundaverit arcem:  
 Nec qui mixta auro pretendens lilia signis  
 Reddidit Aufoniæ primus sceptrumque, decusque  
 Magnus, agens victor Francos Heroas in arma.  
 Et dubitatur adhuc tantis insistere cæptis?  
 Auspice & hoc, positus dabitur pax aurea bellis:  
 Saturnoque fluent quondam regnata per Orbem  
 Secula, & hoc totus gaudebit Consule Mundus.  
 Tunc & sponte sua, nullo cogente colono,  
 Cuncta feret Tellus, cunctis nascentur in oris  
 Omnia, quæ sparsim rerum Natura creavit.  
 Ipsi & cærulei progignent omnia fluctus.

*Of the arcum  
 fashionem  
 docet.*

Interea, quoniam supplex mea Numina poscis,  
 Quo reparanda modo tibi sit iactura, docebo.  
 Quæ nostra sub rupe later Concha una superstes  
 Illuvie ex illa: ritu capienda vetusto,  
 Nerursus gravis ira Deum ferveat: & illam  
 Pollice si puro tu presseris, ilicet humor  
 Lacteus exibat, qui mox dispersus in undas  
 Sufficiet nova Concharum sua semina ponto:  
 Hoc facies æstate nova, & cum lucida cornu  
 Torum Luna suum radijs implevit, & ante

Quam

1 Celeberrima Constantinopolis ars, Græcis Heptapirgium, in uno  
 è tribus angulis ad Meridiem, & Occidentem posita.

Quàm rubeant Orientis equi . vix talia fata est,  
 Cùm tora, ex templo summo de vertice rupes  
 Contremuit, sonituque procul nemus omne remugit:  
 Atque ultrò obstricti super ipso cardine postes.

Nunc age, & armatos radijs piscator 1 Echinor  
 Venemur. Frutices inter, densataque passim  
 Lentisci nemora, & loca foeta virentibus algis,  
 Se circum versans prorepat Echinus in orbem:  
 Et rot carpit iter pedibus, quot cortice ab ipso  
 Undique protendit spinas mucrone rigentes:  
 Aut rimosa tenens hibulo sub pumice testa  
 Attondet herbas, & rorem potat amarum.  
 Est & Echinorum duplex genus: alter edulis,  
 Pinguior, at testa minor, & majoribus horret  
 Cuspidibus, verùm brevibus succingitur alter,  
 Et maior testa, succo sed futilis ille est.

*Echinorum  
 descriptio.*

Sunt & Echinorum 2 matres cognomine dicti,  
 Quis majore calyx sese decircinat orbe,  
 At minus exiguis riget, obtusisque sagittis.  
 Ova tamen sæcunda creat, lætoque gravatur  
 Ubre, quo miseris nihil est jucundius ægris.  
 Hi procul alta tenent: oderunt litora, & ipsos  
 Oderunt scopulos, ferrumque natantis avarum.  
 Divite qui succo Sardoo in gurgite repit,  
 Se calyce ostentat magno: qui Doride rubra,  
 Parvulus est, radijs verò longissimus horrea.

*Quæ varij.*

Perge, sagittiferis non est color unus Echinis:  
 Hisce calyx, radiique omnes nigredine fulgent:  
 Flavescunt alij: candent hi, marmoris instar:  
 Verùm hi cyanei, rufi spectantur & illi  
 Ast hyali radiant multi convexa colore:  
 Hi gemmas referunt, & multicoloribus ardent  
 Cuspidibus, nitidique, velut scintilla, relucens.  
 Sed vita fugiente, fugit color, & perit omnis.  
 Vanescit velut ipsa, cadit cùm ruscidus humor,

*Colorum  
 diversitas.*

Et

1 Nostris ancivo. Siculis, Rixxo, alijs Riccio. Liguribus Zinzin.  
 Hisp. Eriço de la mar Gallis Urbas, & Castanges de mer. Accolis Oceani  
 Herifion de mer. 2 Echino-metæ. Gallis Rascessor. Sunt alij par-  
 vi, qui nobis dicuntur Castagnole.

Et nusquam radijs est versicoloribus Iris.  
 Si secus, ut gemmæ, pretio mortalibus essent,  
 Et magni decora alta ducis. Sed non & Echini  
 Consilium, contra quo se munire procellas  
 Sedulus invigilat, Nereo spumante, silebo.  
 Obvertit fundo dorsum, radijsque lapillos  
 Apprimis, astringitque: grayique juvante saburra,  
 Spumofum pelagi venientis sustinet æstum.  
 Qualis apes, Cælo cum pendet aquaticus Auster,  
 Et strepere incipiunt subrauco murmure sylvæ,  
 Exiguum nitido collic torrente lapillum,  
 Atque volans rapidis obstitit firmior auris,  
 Tutaque succedit testæ. Sed tempus in alto  
 Per densos prædam frutices tentare repostam.  
 At tibi ne frustra labor impendatur, in undas  
 Quæ situm rigidos venies, piscator, Echinos,  
 Rara inter pleno cum fulget sidera cornu  
 Cynthia, & è terris nigramentem submover umbram:  
 Et tepidi radiant aprico lumine Soles.  
 Majore quoniam tunc pinguent ubere testæ,  
 Ovaque prædulci minio fœcunda rubescunt.  
 At qui Pyrrhæi trans Aulidos alta sonantis  
 Euripi loca cœca tenent refluxibus undis,  
 Dum Boreas riget, atque nives densantur acutæ,  
 Multiplici carpunt calyces mucrone rigentes;  
 Nanque illic majore Thetis tunc ubere lactat.  
 Sed tandem, ut prædam capias, piscator, opimam,  
 Prælongum ferreo contum subnecte tridenti,  
 Plurima cui cusps sit adunca, erectaque sursum.  
 Hoc etenim facillè avelles de gurgite Echinos.  
 Præterea manibus submersus in æquore nudus  
 Comprendes inter frutices, algasque rigentes:  
 Verùm ne spinis te sauciet ille caveto;  
 Nanque opus est tibi vi multa, quia scilicet illi  
 Punicibus sese dura promuscide stringunt.  
 Quare omnem dura celabis pelle lacertum.  
 Sæpe etiam parvis includes retibus, imum  
 Neptuni fundum cum ferro radis acuto.  
 At mihi se placida sub Doride prodit arenis

*Mirabile  
 Robini in-  
 genium.*

*Quo tem-  
 pore qua-  
 reu di.*

*Qui piscã-  
 di modus.*

Da-



Dactylos 1, erectusque assurgit arundine læta.  
 Hinc olim Donaces appellavere Pelasgi,  
 Atque Aulos: nostri digitos vertere vocantes.  
 Cæruleus maribus color est, & linea testam  
 Transversum deducta secat: sed fœmina nullis  
 Puniceis distincta notis. hæc plurima ponto  
 Perquirenda tibi, nam dulcior, atque salubri  
 Pinguescit succo mollissima: pluris & illam  
 Tu cautus domino vendas, piscator, avato.  
 Hanc mihi, non prunis costam, cum 2 Monte sub Alto  
 Ad virides fient umbras 3 Laurentia Sacra,  
 Sed magis elixam, & fragranti jure madentem  
 Optarem, grato nanque est dulcissima succo.

Atque hic, ni mihi longum, & iniquo calle premendū  
 Effet iter, nulla apparent quæ signa priorum,  
 Forsitan & testas etiam, & genus omne natantum  
 Censerem, viresque omnes scrutarer, & usus,  
 Quæque hominum magis apta foret, & idonea victu:  
 Quoque paranda modo, quò dulcis, & utilis unâ,  
 Aut damnosa minus fieret mortalibus esca:  
 Et quid opis positum his, & quid medicaminis esset  
 A Superis morbos contrâ, tristemque senectam,  
 Haud equidè invitus canerè: sed me quod agèdum est  
 Per dubios calles iter, ambagesque viarum  
 Non sinit incæpto longè divertete clivo.  
 Quin etiam (tua, CARDENIDE, non mollia iussa)  
 Me magno clangore vocat tuba Martis in arma,  
 Plurimaque è domito invitat victoria Thrace.  
 Fors erit, ut vates alij meliore cothurno  
 Illa canant, lentis ducentes otia Musis.

Quare age Solenas fabulo capiamus ab imo.

Quà modico sonat unda vado, piscator, adibis  
 E fer

1 Nostris *Cannolicchi*, Venetis *Cappas*, Appulis *Imbrici*, Gallis *Co-  
 Heaux*, quasi cultri manubrium. in tenebris lucent, maxime in ore  
 madentium. 2 Nostris *Capo di monte*. amœnissima Coll. Neap. vil-  
 la, in quam relaxandi animi gratia scholastici secedunt. 3 Celebris  
 secessio, quæ sit die D. Laurentio Sacra, cum absoluto Philosophiæ  
 curriculo, junioribus præmia statuantur.

*Quomodo  
Dactyli per  
quirendi.*

E ferro armatus pala, quam subter arenas  
Intrudes, totamque adiges inam Dactylos imo  
Abdit se fundo, penitusque in viscera condit.  
Ast ea sollicito fuerit tibi cura, fragorem  
Ne facias; subitus quoniam se subtrahet Anlos,  
Ima perens, palam quâ non, piscator, acutam  
Fixeris, & vacua venies ad litora cista.

*Ut sint au-  
rii.*

Cum me Brundusij tæres, & curva tenerent  
Litora, Romanis olim lustrata colonis,  
Mætus & aspicerem magni miracula portus,  
Cujus arenarum ni molibus ora refusus  
Assiduo refluens clausisset Nereus æstu,  
Non foret Aufonia in tota felicitior alter.

*Qua apud  
Brundusi-  
nos pica-  
tio, ubi opi-  
mæ.*

Hic piscatores memini vidisse cavata  
Arbore devector, digitos educere pala,  
Quis alibi melior non est, nec dulcior ullus.  
Quamquam Sebethi, quem nostri ad litora carpunt,  
Et quem lactifluis producit Olympia succo,  
Illis inferior non est. De murice sed jam  
Me 1 Balani, saxisque invitant 2 Pholades udis.

*1. Lani, &  
Pholades  
describan-  
tur.*

Saxosos inter scopulos, sub pumice vivo  
Quos Thetis assiduo spumis aspergit amaris,  
Pholades, & Balani passim nascuntur: & illi  
Ceu glandes duplici testa formantur acuta,  
Oblongi magis, & circum, velut ova, rotundi.  
Hi magis affimiles sunt glandibus, aspera saxo  
Posterior pars, & corio flavente rigescit:  
At bina anterior testa lævôre polita,  
Unguibus è multis veluti formata, colorem  
Unguis habet, medioque rubescit rimula villis.

*Qua vario-  
ne generan-  
tur.*

Has ego crediderim generari è Doride testas,  
Quæ per saxorum rimas infusa recurrens  
In cæcis soboli fert nutrimenta repostæ  
Rupibus, & furtim conclusis lactat in antris.  
Sed frustra impensus labor hic: non saxa, neque ignes  
Occultas tutantur opes: pervadit & ipsum  
Marmor avarities, mediosque irrupit in ignes.

Er-

1, 2 Dactyli nostri, & Tarentini vocant. Galli *Passe piez*.

Ergo tibi rigida rupes scindenda securi,  
 Ut Balanum rapias, & clausum Pholada saxo.  
 At ferro non cuncta mari lita saxa laceffes:  
 Quæ rupes, veluti pumex, scopulosa dehiscit  
 Crebra foraminibus, diffindito: clauditur illa  
 Pholæ, & ostrifero Balani fulgore rubentes.

At prius abruptæ vires quàm viscera rupis  
 Hærentes ipso 1 Lepades in cortice, duro  
 Aut cultro poteris, vel acuto vellere saxo:  
 Nam digitis frustra conabere: cautibus illæ  
 Pectora prona tenent, vinculisque tenacibus hærent,  
 Ut neque Milonis vis ipsa revellere possit.  
 Usque adedò figuntur humi, quæ corpore prono,  
 Humoremque bibunt gremio telluris ab ipso,  
 Haud facilè è terris convulsæ feruntur in altum.  
 Una tegit Lepadas cava testæ, & plurima livet:  
 Non secus ac cinis, & tenui riget aspera villo:  
 At gibbo majore tumet, crescitque rotunda.  
 Verùm Virginiis quæ Cypria carpitur undis,  
 Multa strijs visenda venit: quæ Doride rubra,  
 Loricæ circum tegitur, spinisque rigescit.

Non secus undoso scopuli de vertice 2 Turbo  
 Vellitur: at Turbo qui fit te, Batts, docebo.  
 Corpore qui crasso, surgitque volumine multo  
 Tegmine sub niveo testæ, scabrosus, & asper  
 Tubere multiplici, tenuique, & plurima dorsum  
 Linea cui rugis distinguit, & ora rotundus,  
 Exiguaque patet rima, tenuatur & instar  
 Turbinis, ille tibi dicetur nomine Turbo,  
 At non est unum cunctis genus, unaque forma  
 Turbinibus: diducto illi, oblongoque meatu  
 Humanas referunt aures, quibus ordine pulchro  
 Extat dispositus per crebra volumina tuber.  
 Qualiter argilla interdum fit fictilis albæ

Et qua cav  
 pientur.

Qua item  
 Lepades.

Harum de  
 scriptis.

Turbinis  
 descriptio.

Quæ varij

Ur-

1 Nostri, Ligures, ac Provinciales *Potelle* dicunt, Oceani accolæ  
*Oeil de bove* oculus Hirci. Hisp. *Ameia* Massilienses etiam *Lhpo-*  
*da* vocant. 2 Vulgus Neapolitanum *Scocaglia*.

192 HALIEUTICORUM

Urceus,artifici dextra tornatus, & arte.  
 Ille strijs candens: hic tubere multus: & ille  
 Insignis rostro, multoque trigone rigescit:  
 Lævis & hic esset, tenui ni linea ductu  
 Serperet, inque aciem convolveretur acutam.  
 Angulus huic cælarus inest: ast ille rubentis  
 Muricis instar habet testam, & mucronibus horret.  
 Sunt quibus appendix multa est, oblongaque, Graij  
 Dactylon, ut perhibent, appellavere vocantes:  
 His etiam, magis id miraberis, i Eschara picta est.  
 Ceu trochus, hic alter, crusta cui duplice testa  
 Compacta è lævi: subcandicat extera: subter  
 Quæ sic, candenti lucis splendore coruscat.

At tibi non tantus labor impendendus, acuto

*Musculi, &  
 Myxuli pi-  
 scatio.*

Ut ferro è scopulis rapiatur Musculus udis.  
 Nanque pilis tantum vincit sua tergora saxis:  
 Os sublime tenet, magnoque patefcit hæret,  
 Myxulus asper uti palis, vel cautibus hiæret.  
 Nam palis etiam generatur uterque, sed una  
 Non geminis forma est: curvatur Musculus orbe  
 Exacto, tennis quâ definit, ast ubi gibbus,  
 Spissior est testa, & multa nigredine fusca,  
 Atque obducta levi musco, & lanugine molli:  
 Lævia æruleo candescunt concava fuco.  
 Clusilis, & forma fit Myxulus, atque colore  
 Diversus: crevit scaber hic, oblongus, & ater:  
 Ille strijs, ceu Pinna, venit flaventibus: alter,  
 Castaneæ veluti, livescit, & atq̃ior orbe est.

*Illorum  
 descriptio.*

Disce, & odoriferas etiam, Piscator, arenis  
 Tellinâs 2 legere, in regum ventura secundas  
 Auratas inter lances bellaria mensas:

*Tellinarum  
 descriptio.*

Nam sapor egregius, succusque suavior illis.  
 Candida Tellinis est concha, & lævis, & æqua:  
 Denticulata tamen multis tenuissima crenis

*Quo instru-  
 mento ca-  
 piantur.*

Cernitur, atque teres, oblongaque, cortice dura.  
 Illas ima secans in retia mittet acutum

Ostri-

1 Zoophyti species ad similitudinem latuce, unde & latuca mari-  
 na, Gallis dicitur Girofada. 2 Nostris Tominaale Romanis Tellina  
 ut etiam Gallis, & ab Oceani accolis Filon appellantur.

Ostrilegum, aut ipsa educet manus ærea fundo.  
Semper arenosis in syrtibus, & cava propter  
Fluviorum soboles felicior editur ora.  
Verùm non alibi generatur copia maior,  
Quàm devexus ubi Lunæ de vertice Nilus  
Septeno refluens succedit in æquora cornu.

Quasi fel-  
ciores na-  
scantur.

Sed jam & Limaces properat & Pheretocides, & jam  
Tardigrado quamvis subierunt retia gressu,  
Cortice filicæ, cochlidem que imitata reflexam,  
Claviculata venit: medioque umbone recurrens  
Serpit helix intorta, labrumque ascendit in ipsum:  
E labroque animal caput exerit: & duo longa,  
Et totidem brevia extendit sua cornua fronte.  
Vertice in extremo, visu mirabile, cornu  
Exigui rutilant oculi, doctoribus istis  
Præterant iter æquoreum, tutæque per undas  
Excurrunt 3 Cochleæ, secum sua testæ ferentes.

Limacum  
descriptio.

Hæc tu, Piscator, limosas quæ per arenas  
Castra locant, cono capies, quo gurgite ab alto  
Neritas 4 etiam rapies, quibus altera ponto  
Pulchrior haud Concha est: texellis plurima pictis  
Vermiculata venit testæ, æque umbone reflexæ  
Incipiunt helices crebræ, gyroque retorto  
Majores sensim ascendunt: nigrisque coruscant  
Distinctæ punctis maculæ: nitidoque argento  
Insignis rutilat margo, & flaventibus astris:  
Interius totam perfundit purpura testam,  
Quam Veneri sacram nautæ fecere. Sed imo  
Gurgite deproperant in consona fila Paguri.

Quomodo  
capiantur.

Neritas.

Illarum  
descriptio.

Accitos Cadmæa ferunt ad mœnia cantu  
Sponte sua lapides cœiisse, & voce canora  
Turritum caput assurgens venisse supremum  
Arcis in ætriæ culmen, cinctosque Penates,  
Atque Amphionio factas de pollice Thebas.  
Blanda sed hæc Vatum commenta: sonora Paguri,

Centri sono  
e aptantur

N

Cer-

1 Vulgus Neapoli *Maruzze*, Romani vero *Lumache* vocant. Tusci *Chioccole* Galli *Limascon*. Hispanis, & Provincialibus *Scaragel*, & *Caracol*. 2 Quasi domum ferentes. 3 Sic & vocantur Limaces à cochleæ figura. 4 Adriatici Accolæ *Neritis* dicunt, alij *Naridola* Hispani *Caragola*. Galli *Virlis*, & *Bigornet*.

*Sc: Baptista  
Perna in  
Magia ma-  
arali.*

Certa cæno, citharæ festantur fila, modosque  
Cantantis; veniuntque mari mustosa relicto  
Litora sub, dulci cantu, nervoque vocati.  
Quare age, cantando fuscis venabere Cancros  
Herboso, puer, in saxo, dum deflagrat *Æstas*  
Torrida, & æquoræq; sitiunt per litora myrri.  
Molliter ut pelagi vada lenta laceffere cornu  
Incipies, udo scruposæ rupis ab antro  
Ilicet auriti venient ad murmura Cancri.  
Tum viridi è scopulo surges festinus, & actam  
Cantando in siccam lentè, piscator, adibis;  
Correptæ numeris nam te tunc ponè sequentur  
Ostipes acies, arrectæque auribus auras,  
Opatosque bibent resonantes lenè susurros.  
Quas tu, pellectas cantu captabis in acta:  
Venatumque dabunt numeri tibi, nauta, canori.  
Discite, mortales, vos hinc non fidere cantu:  
Si fera mellitis sub cantibus abdita mors est.

*Pinna Ref-  
criptio.*

Et jam cantanti bysso spectabilis ipsa  
Se vati inclinat vitreo de gurgite Pinna,  
Marmoreasque fores, atque ora tenacia pandit.  
Auritusque simul custos se prodit ab albo  
Carcinus. illa mari prælongo crure, fuillo  
Assimili defixa manet, directaque surgit.  
(Unde & Romanis dicta est cognomine Perna)  
Latior & sensim se è caudice tollit acuto,  
Palma velut, geminaque operit sua viscera testa;  
Unum longa pedem. latoque patescit hiatu.  
Est convexa rudis, fuscoque immixta colore  
Nigricat: argento splendescunt concava multo.  
Verùm cœnosis quæ plurima pullular undis  
Flavescit: puris nam candida degit arenis.  
Ad latus emittit non longè à cuspide byssum:  
Quæ similis lanæ est, mixtaque nigredine fusca,  
Velleribus Serum flavis non vilior ipsis.  
Hos tu, piscator, de Perna collige villos:  
Contexti nam crura regent, palmasque tyranni,  
Atque venustatem Nymphis simul, & decus addent.  
Exiguos alit hæc Cancros, Squillasve rubentes  
Intus, & hos testa nunquam dimittit ab ipsa;

*Cancellet  
Pinna en-  
flos.*

Pro-

Provida nam Pinnis custodes corporis illos  
Ipsa parens Natura dedit, iussitque fideles  
Excubias agere ex alto, dominamque tueri  
Immanes contra Polypos, fraudesque dolosas.

Verùm age lanigeras imis, piscator, arenis  
Quo valeas instrumento convellere Pinnas  
Accipe. 1. Pinnilegum facies de duplici ferro,  
Quodque ipso è capulo se tendat acinace torto:  
Inque orbem capulus fiet, totusque cavatus.  
Latius in medio virgæ laxentur: adunco  
Se tandem gyro excipiant, unàque plicentur.  
Prælongam capulo bis ternis passibus hastam  
Inseri: & extremo, virgas ubi copulat uncus,  
Vimineam religa restim, quâ longiùs ipsam  
Extentâ pariter religabis plurimus hastam,  
Hæreat ut conto cuspis firmissima longo:  
Aut gravis è capulo fors excidat, inter acuta  
Non pereat saxa, aut nigro loca confusa limo.  
Uncus ubi geminum conjungit ferreus arcum,  
Linum, piscator, niveum strictissimus adde,  
Indice quo cæco prodat se machina fundo.

His actis, properè lætas te confer ad undas,  
Cum jam mensis adest ab aperto tempore dictus;  
Nanque graves Pinnas venari aprissimus ille est.  
Stans prora in media curvum demitte sub æquor  
Pinnilegum: medioque patet quâ latius, ipsam  
In latus obversam comprehendat acinace Pinnam.  
Exin Pinnilegum, surgit quâ palmula Pernæ  
Amplior in ventrem, obvertes: factaque repente  
Vi, facilè ab dura testam radice revelles.

Interdum non una tibi, piscator, ab alto  
Compressa à gemino consurget acinace præda:  
Plurima, nam dorso Pernæ stant Ostrea sæpè  
Adnatæ, ut duris hærent Conchylia saxis;  
Humoremque bibunt è Pinna, quæ tibi ferrum  
Captiva in cymbam capta cum matre remittet.

Quod superest, nõ cuncta maris freta cærulea gignit  
Insignes bysso Conchas: per ditia passim  
Ostia, Nile, tuæ, & sitientis litora Gazæ

N 2

E li-

1 Hauc machiuam Panduenco vocant Tarentini.

*Quo instru-  
mento ca-  
piantur, &  
illius des-  
criptio.*

*Piscandi  
modus.*

*Quibus in  
locis Pinna  
nascentur.*

E limo, & nitidis Pernæ tolluntur arenis:  
 Agæifque creantur aquis, scopulofaque propter  
 Illyrici vada, Sirhonio pulfata flagello.  
 Gallaque Doris habet Pinnas, & Tethys Acarnan.  
 Non unda in noſtra defunt Crateride, fucco  
 Quæ multo læta veniunt, & divite byſſo.  
 Una ſed antè alias Pernis fœcunda ſuperbit  
 Ora Phalanthæis olim regnata Tyrannis.  
 Hic ego byſſiferis latè ſylveſcere plantis  
 Equoreos vidi campos, centumque recurvo  
 Pinnilego lintres venari è marmore Conchas.

Sed trans Tyrrheni fluſus, Scyllamque ſonantem  
 Litus in Oebalium, fortunatumque Tarentum  
 Me dulcis raptavit amor: juvat ire beatam  
 Herculis in ſedem, & ſtævientia rura 1 Galeſi;  
 Quà matutino gemmatis ſydere guttis  
 Pinguia diſtillans Concharum ſemina Cœlum  
 Sufficit, & reſlva lætatur Doridos unda.

Tarenti de-  
 ſcriptio, &  
 lauder.

Eſt locus Hesperia in magna, quæ Martia Tellus  
 Circuitu longo curvatur, & undique fluſu  
 Ionio latè perfunditur: inque tepentem  
 Eſt mundi converſa plagam, Soleſque benignos:  
 Herculeum Graij quondam dixerè Tarentum,  
 Et Cœlo, & Tellure, Deoque auctore ſuperbum.  
 Nanque ſacri, ut vates cecinerunt, prima locavit  
 Fundamenta Urbis, muroque & turribus auxit  
 Nepruno cum Patre Taras, quo rege potenti  
 Floruit imperio, rebusque eſt uſa ſecundis.  
 Una 2 Pelafgiadum 3 Calabris quæ ſinibus olim,  
 Aut Martis ſtudio vignerè, aut Palladis arte,  
 Tantum clara inter reliquas caput extulit urbes,  
 Quantum inter proceres rex eminet. alter haberi  
 Angulus haud toto poterit felicior Orbe.  
 Hic Ver perpetuum, ſemperque nitentia rident  
 Prata, & odoriferis vernant cum floribus horti:  
 Semper & apricis texuntur collibus umbræ:

Ac

1 Galeſo penultima correpta Tarentini dicunt. Fluvius in agro  
 Tarentino, qui in concludum mare (*Mare piccolo*) ſe exonerat.  
 2 Tarentū una ex Græcis urbibus in Italia. 3 Calabri omnes di-  
 ci ſunt, qui à Tarento Leucadem uſque inhabitabant,



Aclatz in campis pecudes surgentia rudent  
Gramina: & irriguis nunquam non fontibus undæ  
Per pictas viridi decurrunt margine ripas.

Æterni semper Soles, & nubila rarò  
Obuelant densata diem, Zephyrique salubrem  
Temperiem spirant, leni dum murmure fluctus,  
Ac densas latè sylvas movere loquaces.

Sed quanquam Oebaliæ tot sint Telluris honores,  
Major ab omnigeno confurgit, raraque ponto  
Gloria: quandoquidem cunctas hic prodiga fudit  
Divitias Natura suas. hic una superbit

Æquore fecundo, atque ingenti Doris opum vi.  
Nanque hic piscator semper felicibus undis  
Squamiferum crevisse novum genus, & nova saxia  
Muscosis adnata modis videt Ostrea miris.

Non secus ac Libyæ loca per deserta, ferarum  
Non visas semper formas vagus aspicit Afer.

At mirum est illud, desudans roscidus æther  
Hyberna sub nocte, locis prope litora certis  
Semina Concharum demittit tenuia, quæ mox  
Lactæ Thetis vitreo, & refluentibus educat undis.

Quæ miranda modò quonam miracula fient,  
Et quæ cura tibi pariter, piscator, habenda,  
Accipe: Parthenijs nec dedignare Camœnis  
Quæ præcepta tibi præscripserit advena vates:  
Forfitan his (ni vana mihi modo cantet Apollo)

Ditior è pelago venies, notusque per omne  
Semper eris Latium, & Cælo cantabere nostro.  
Ni fors, te quoque trans Rhodanum, fontemq; Garinæ  
Egregius cantet 1 Frizon; magnusque 2 Ruzus  
Trans Ararim canat interdum: gelidoque sub axe  
Te doctus patria celebret Galvæus Hiberne.

Quà 3 Thetis angusto serpit circumdata limbo,  
Atque urbem molli subter perlabitur unda  
Eoum ad Solem, longos procurva secundùm  
Litora sylvestri è pinu, aut ex ilice palas

N 3

Fige

1 Leonardus Frizon Gallus vates, & argumentorum varietate, & carminis elegancia conspicuus. 2 Carolus Ruzus Gallus item Poëta majestate carminis, auroque candore nulli secundus. 3 Morg piccolo.

Calli salin  
brissæMarte fel  
vatisCocharum  
semina ut  
è Cælo prout  
veniuntVlti plati  
sandi fuz  
pali.

198 HALIEVTICORVM

*Et quo sc.  
pars.* Fige mari:& senis subeant bis cætula palmis :  
Vertice sed summo vix uno è fluctibus extant.  
Illos tu pelågo figes, piscator, in alto  
Lætus ubi tandem prælis genuisse Falernis  
Desijt,& rosea fervet Lænæus ab ira.

*Quoque in  
illos deci-  
dens cale-  
fis vos cæ-  
charum se-  
mina præ-  
bet.* His actis, miram palis concrefcere prolem  
Semine syderio mirabere . Solis ab ortu  
Ux ferrugineo pandet se lumine Cælum,  
Ac nitidus fulget polus,& sunt uda serena,  
Plurimus humenti de sydere deciduus ros  
Depluit, & palis guttarum roscidus humor  
Excipitur, gyroque illos strictissimus ambit.  
Egrediè veluti textum Oceanitide bacca,  
Cana puellarum circumdat colla monile.  
Principio hi rores, Mulli velut ova, rotundi  
Concrefcunt, primoque nivis candore coruscant.  
Ast ubi cætulei formantur Peçtinis instar  
Majores, multa radiant ferrugine fufci:  
Oebalij hinc 1 Testas dixere 1 Melænidas illos.

*Quo tem-  
pore edu-  
catur pall.* His animadversis, cùm mitior ira Leonis  
Sævit, & extremis cum Solibus interit Aestas,  
Cælesti gravidos fortu convellere palos  
Præcipio, quibus hærentem radice sub ima  
(Nam capita alta, vagis extant quæ desuper undis,  
Et quæ prima vado pars mergitur, ætheris udi  
Non potat rores, nec femina concipit haustu)  
Carpe manu teneram sobolem festinus, & illam  
Exin redde mari, crescat quò major in unda,  
Pinguior & læto pubescat ab ubere ponti.

*Concretaq;  
femina ite-  
rum mari  
miciantur.* Quod superest, quæ salsa Melænidas æquora Cöcha  
Excipiunt, testisque magis sunt apta fovendis,  
Expediam . Pontem juxta, quæ Doris apertura  
In pelagus fluit, & resonantibus æstuar undis,  
Stricta per ora, seres, cælestia semina, Conchas.  
Atque externa Thetis modico quæ perluit æstu,  
Tutaque nec longe statio stat puppibus, & quæ  
Mœnia subter aquis currentibus obstreperit æquor.  
Insuper occiduum ad solem, Zephyrosque salubres,

*Et quibus  
in locis.*

Oeba-

1 Vulgus Tarentinorum vocat *Cæque* negre quarum ingens præ-  
ventus, salitæque per varias regiones asportantur.

Oebalix contrâ turres, ubi gurgite clauso  
 Irriguus pelagi fundo fons surgit ab imo,  
 Salsus & ipse, Dea quondam 1 Citrellide clarus,  
 Conchis nulla magis felicior unda creandis:  
 Nec locus est alibi, qui tot crateris capaci  
 Æthetij capiat gemmantia semina roris.  
 Præterea flavi quâ molliter unda Galefi  
 Murmurat, & lento currens pede cærule pulsat,  
 Crediderim læro Conchas pinguescere succo:  
 Nam reflua lætantur aqua, rivoque sonanti.

At verò, ut multo grandescant corpore testæ,  
 Tres opus Æstates vitreo perfundier æstu,  
 Inque locis hætere suis, si fervidus igne  
 Litora sol nimio, & sitientes torreat agros,  
 Dum Lædæ sobolem, & duo signa sequentia lustrat,  
 Plurima provenient Conchylia, lætaque pingui  
 Ubere, & egregio pariter dorata sapore.

Quin etiam moneo nigras te è gurgite Conchas  
 Interdum trahere in litus, pontemque sub ipsum:  
 Et stricto hærentes nexu, velut uva racemo,  
 Aut suâ granato cœu semina, disijce pala  
 Ferrea, & acturum patrias demitte sub undas.  
 Sic etenim, Cœlo quoniam lætantur aperto,  
 Et magis æquoreo sparguntur gore, videbis  
 Majorès sensim succrescere Doridos alveo.

Sed jam disce modum piscandi. ferrea primùm  
 Cudatur 2 manus, inque volam flectantur acuti  
 E primis digiti articulis, pulsusque cavatus  
 Torus erit, lentum cui mox hastile repones.  
 Inde recurvato ferrum si miseris ungue  
 In fluctus, tibi multa feret conchylia, in auras  
 Exin cum pelagi è fundo deduxeris imo.

Non ea cura tibi fuerit postrema, per undas  
 Venari multa insignes lanugine 3 Conchas,  
 Quas ipsa excipiens nocturni neptaris haustum,  
 Utraque Doris alit sub gurgite, quæque minores  
 Hirsuta quamvis testa: nec copia tanta

N 4

Pro-

1 Lo Citrello vulgus Tarentinorum dicit. 2 Vulgo Tarentinorum appellatur *Gransa*, ut & nostratibus dicitur. 3 *Coxze zelose*, quarum species cum interisset, nuper restituta est.

*Quanto id-  
 gore sublim-  
 locis vellin-  
 quenda fuit  
 Concha,*

*Sapienter ex-  
 trahenda,  
 disgregan-  
 daque ite-  
 rumque in  
 mare demis-  
 senda.*

*Quomodo  
 extrahan-  
 tur.*

*Concha vil-  
 losa.*

108 HALIEVTICORVM

Proveniat, succus tamen est dulcissimus illis,  
Et tener, & roseo splendet spondylosigne,  
Quo possis præbere Dijs felicibus escam.

Vatis En-  
stus fac  
mus.

Hæc verum dixisse mihi satis; usus enim ipse  
Plura tibi poterit monstrare. Sed ò ubi colles  
Oebalij, & mollis felicior ora Taræni!  
Ora auris perflata, & apricis lucida semper  
Solibus, & viridi nunquam non gramine læta:  
Et nunquam placidis non perlita fluctibus. O qui,  
Angule terrarum pulcherrime, me tibi sursum  
Reddat, & in flavi me transferat arua Gæsi!  
Arua Phalanthæis semper lustrata puellis,  
Et semper cantu pastorum pulsa beato.  
Hic ego Pæonijs quando mihi reddita succis  
Nulla salus, agerem, quamvis inglorius, inter  
Felicis pelagi Divas tranquillius ævum:  
Quoque modo possem, saltem surgentia semper,  
Vincere si nequeo, durarem semina morbi.

Archiepi-  
scopi Taxo-  
tini & legiti.

Hic ego te, cymbæ spes ò fidissima nostræ,  
Musarumque olim decus immortale futurum,  
Aspicerem, FRANCISCE, tuo quò lætus ab ore  
Ætumnas relevare graves & tædia possem.  
Et si Fata dabunt, laudi non invida nostræ,  
Ut mihi sit Cæsum, sit & ora salubrior, omnes  
Pterio festivos agam de vertice Musæ:  
Et cantu Cyrrham, totumque Heliconæ ciebo.  
Et si Parthenio quid erit celebratier æstro:  
Tu quoque Parthenijs olim celebrabere Musis.  
Nam genus antiquum cantabo, & nobile germen  
Heroum, & claros titulos, fæcesque superbos,  
Atque tuæ, & patriæ dicam virtutis honores.  
Egregias animi dores, mentemque benignam,  
Et placidos mores, dignumque parentibus addam  
Ingenium, studijs excultum, & Palladis arte.  
At si fors erit, ut magnis tua maxima virtus  
Romuleis jungat Partibus, sacroque Senatu,  
Tunc mihi Purpuræ Divorum insignis in ostro  
Mæonio cantandus eris. FRANCISCE, cothurno.  
Interea super Oebalij quæ carmina Conchis  
Nunc, duce te, cecini, non dedignabere: primum  
Sint hæc obsequij monumentum, & pignus amoris.

F I N I S.





F. Solimena Inv.

H. Vincent Sculp.



# HALIETICORUM

## LIBER IX.

**S** Ed quæ regales intingunt murice vestes,  
 Tempus ab undosa prædari Doride Conchas.  
 Vos mihi Parthenias, Divæ, quæ curticis undas  
 Ditia Phænices per litora, quis Deus ille,  
 Dicite, purpuream primus, qui gurgite gazam  
 Eduxit, roseoque infecit sanguine lenam?  
 Nam, si audita memor veterum monumenta recordor,  
 Ingenij largitor amor, hanc extudit artem.

Quondam Phœnissa, ut perhibent, fuit aurea virgo,  
 Dicta Tyros, genti quæ nomina fecit, & ubi:  
 Hanc sibi coniugio, & thalamo sociare jugali  
 Magnus Lernææ domitor quæsierat Hydræ.  
 Illa sed Alciden formæ confisa decoræ  
 Spreverat, & fastu ridebat vota superbo.  
 At Deus hæc animo secum indignatus iniquo,  
 Per virides errans scopulos, & curva secundum  
 Litora, nequidquam surdas jactabat ad auras.

Ergo Cleonæi quem non gravis ira Leonis,  
 Nec septim gemina cervice exterruit Hydra:  
 Non Erymanthææ vastatrix bellua sylvæ,  
 Nec ferus Hesperidum custos domuere: nec ipsi  
 Phlegreji fratres cum Naupactæo Acheloo:  
 Imbellis virgo, quæ non fert tela, neque arcum,  
 Nec manibus novit tractare volatile ferrum,  
 Inviclum tandem fregit. Ah! fregit amantem.  
 Non tua laus, ò virgo: Patri qui sæva Tonanti  
 Fulmina, & armato rapuit sua tela Gradivo.  
 Ille, puer quamvis, fateor, me vicit, & ille  
 Me tibi captivum, & fastu parere coëgit.

*Tyros ab  
 Mercurio  
 dicitur.*

*Mercurio  
 quæritur.*

Dii -

102 HALIEVTICORVM

Dure puer, duro quem non submittis amori?

Hæc Deus. Interea circum canis arida litus  
 Cursabat, si forte famem sedaret iniquam  
 Piscibus, ignarus mediam quos inter arenam  
 Liquisset piscator, aquæ vel sponte tulissent.  
 Forte irreptantem scopulis è gurgite concham  
 Aspexit: mora nulla, avido petit ore, revulsamque  
 Ostrifero carnem tecto vorat: ilicet humor  
 Effluxit, rubroque infecit labra colore.

*Quo casu  
 purpura in-  
 venia.*

Jam Pelagi consueta petens loca, gressibus ibat  
 Augustis formosa Tyros, dioque videnda  
 Incessu, & vultu radians fulgebat honesto.  
 Ut pulchram properare Deam Tirynthius heros  
 Aspicit, aspectuque novum simul ebibit ignem,  
 His supplex Divam aggreditur: Quid nostra recusas  
 Connubia, & Divum leges, & fœdera spernis?

*Herculis ad  
 Tyrum ver-  
 bat*

Quid te velle negas, quod Dii voluere? quid ultra  
 Sanctum Hymenæum, æternumque averfari amorem?

Tum Dea: Non leges Divum, non fœdera temno:  
 Nec sanctos sperno thalamos. Age si mihi lænam  
 Punico ardentem contexes protinus ostro,  
 Quo modo labra canis rubuere, in fœdera dextram  
 Extendam tua jam, Tirynthiæ. Plura neque illa  
 Addidit. Extemplo magno successus amore  
 Piscatus vitreo Alcides de gurgite Concham,  
 Purpureum legit florem, pressitque rubentem  
 Humorem, rutilo quo tinxit murice lanam,  
 Purpureaque suam donavit veste puellam.  
 Usus & hinc primùm tingendis vestibus ostro  
 Prodiit, & magnos ornavit purpura Reges.

*De huius  
 respicijo.*

Nunc age, 1 purpureæ fallant ne forte legentem  
 Te 2 Conchæ, quot mira dedit Natura figuras,  
 Accipe. Densatis multæ mucronibus horrent,  
 Et magis extremò, crescunt quæ turbinis instar:  
 Exterius mixta sparsum flavedine candent,

*Varia Pur-  
 purarum  
 forma.*

In-

1 Græcis antiquo vocabulo etiam nunc porphyra appellatur: Romanis ab ungue odorato *Ognelle*; Liguribus ab aculeis *Zoncera*. vulgò Nostratum generali voce *Sconigli*, & *Spognilla*, Gallis *Curex*,  
 2 Mucronatæ, nostris *Carnose* indignantur.



Intus sed violæ subluceat purpura nigræ.  
 Hæ 1 brevibus, crebrisque rigescunt tergora spinis:  
 Armatus quibus ipse dedit cognomen Echynus:  
 Anterior, qui latus erit, cœu palmula, turbo  
 Scissus multiplici circum mucrone rubescit:  
 At viridis dorso color est, ostroque nitescit:  
 Lutea cæruleis insperfa coloribus exta  
 Subradiant: nullis armantur dorfa sagittis  
 Illæ; non unum licet extet cortice tuber:  
 Et cinerem cava testa refert, sed viscera flammam.  
 Sunt & marmoreæ, densis queis ora rigescunt  
 Cuspidibus, sparsimque nitent candore nivali:  
 Sola sed ardescunt nativo labra sub ostro.  
 Est alia, ex imo surgit quæ tubere nullo,  
 Tortilis in ventrem quamvis sit Purpura latum.  
 Sed jam dives ubi nitidum Thetis educat ostrum,  
 Expediam. Tyrio quæ crevit Purpura ponto,  
 Optima, regali que ardescit plurima fuco:  
 Sunt & Getulis in fluctibus, atque ubi Nereus  
 Alerno refluens 2 Meningen perluit æstu.  
 Illas 3 Tænarii fluctus, & cærulea Coa,  
 Et multo creat insignes Melibœa rubore.  
 Non Sardoæ carent, non Bœtica litora testis  
 Purpureis, non & Phœnice est vilior Ancon.  
 Illas laudato pariter quas molle Dichæcum,  
 Quas & habent Bæiæ, Lacedæmoniùmque Tarentum.  
 His & Aquinatum tingunt qui vellera, fucos  
 Addito, & Eoa carpit quos Persa sub unda.  
 At cunctas interpretioso sanguine turget,  
 Versicolor Rubro repetit quæ Purpura ponto.  
 Hoc mihi tu, Virgo, Cœli decus, & nova Divùm  
 Gloria, regalis quànquam non desit amictus  
 Syderibus mille intertextus, totus & auro  
 Phœbeo latè irradians, sparsusque colore  
 Purpureo, egregius Superùm labor, atque opus ingenis:

Hoc

1 Conchæ Echinatæ nostris *Cocciola rosso*. Quæmethodum *Per-  
 stines Cocciola di S. Giacomo*, quia illis peregrini utuntur. *My-  
 stilus* vero dicitur *dente di cane*. 2 *Lotophagorum* insula in *Sy-  
 ti* minori, de qua *Polybius* lib. 1, cap. 39. 3 *Peloponæsi* promon-  
 tiorum *Capo Maropon*.

Quibus in  
 locis Puro-  
 pura nascitur.

Hoc tamen è rubro fulgebis Murice dives,  
 Cum per Olympiacam festiva incefferis oram  
 Festivos inter plausus, & murmura ovariantum,  
 Hoc & Erythro mihi tu donaberis ostro,  
 CARDENIDE, pacata mihi quo numine rident  
 Equora, & ostrifero gravitant sub pondere nassæ,  
 Cum proprijs clarus factis, & fasce paterno,  
 Magnus ab Hesperio diceris nomine Rege.

*Ubi ma-  
iores.*

Insuper, in medio stabulant quæ gurgite, Conchas,  
 Maiores Natura creat, sed curva minores  
 Litora quæ propter limo voluntur aquoso.

*Quando  
Purpura  
flos legen-  
dus.*

Præterea, id non te lateat, Conchyta, profundo  
 Cum trahis, è gremio conclusum collige storem  
 Puniceum, vitæ gaudent dum munere, Matres:  
 Nam si sanguineas è cassis lumine fibras  
 Legeris, ater erit, nec lanis utilis humor.

*Purpura  
dulci in  
aqua pe-  
reunt.*

At vero, ut perhibent, illæ (mirabile dictu)  
 Quinquaginta trahunt vitam trans æquora Soles.

*In salsa re-  
viviscunt.*

Sed cave ne dulci mergatur Purpura rivos  
 Nam perit, atque unâ languescit puniceus flos.  
 Verùm deciduus dum flos, & spiritus auras  
 In tenues spargendus abit, si protinus undis  
 Mergitur æquoreis, nativo Purpura succo  
 Acutum remeat dulces rediviya sub auras.  
 Pestiferam velut exhalat quæ cæca Mephitin  
 Scrobis angusta, Ganum vulgo de nomine dicta,  
 Quæque vaporifero patet imo in colle cavata,  
 Cum canis horrendum vi multa intus in antrum  
 (Sponte sua nam nulla perunt animalia montem)  
 Epota sensim lethali naribus aura,

*Qua pisci-  
di ratio.*

Languescit moriturus, aqua si protinus illum  
 Vicina immergas Aniani, litore in ipso  
 Illicet in vitam revocatur. Age æquore Conchæ  
 Qua tibi, Piscator, fuerint nunc arte legendæ,  
 Edoceam: stat opus Vati mōlieri ingens,  
 Ingentemque rubro clamydem perfundere fuco.  
 Sic iubet intus agens præcordia Phæbus: & ipsæ  
 Festinant, alacres Musæ. Sed cuive Deorum,  
 Cuive hūninum tingenda clamys? vos dicite Vati,  
 Pierides: dic, Phœbe patet; citus en feror ultro

In data iussa: tuo quoniam mihi munere carmen  
 Contigit, & tenuem citharæ sortitus honorem.  
 Anne novo præstat Romano texere Regi,  
 Atque ostro saturam, gemmis ornare lacernam?  
 Hoc equidem, Thybræ, jubes, nec fallor: & hoc est,  
 Quod faciles in pensa parant præstare Camæne.  
 Audio, ut ingenti resonet Germania plausu,  
 Magnaque lætitiæ plenas det signa per urbes,  
 Atque triumphales attollat in æthera pompas  
 Regis Romani, summo qui munere Divum  
 AUSTRIACA de gente datus nova gaudia Mundo  
 Intulit, & grandi populos spe nutrit ovantes.  
 Assonat Eridanus magnatum rector aquarum:  
 Et socio Tybris sonat agmine: lætus & undans  
 Implet Aventinas festis rumoribus arces.  
 Nec segni, licet amne minor, dat murmure plausum  
 Sebethus: viridi præcinctus cornua musco  
 Urget aquas victor, magno nec se capit alveo,  
 Exundatque super ripas, latèque fluenta  
 Infundit campis, & gaudia dividit agris.  
 Parte alia cursu in medio conterritus hæsit,  
 Threijcis qui regnat aquis, Oeagrius Hebrus,  
 Bistonijque lacus, tremefactaque Strymonis unda  
 Ad magnum AUSTRIACI nomen, Regisque Quitini.  
 Hæsit & Euphrates, totoque expalluit amne,  
 Et trepidi septem steterunt gelida ostia Nili.  
 Condidit & nigra jam se Mæotide Pontus,  
 Et Theris angustos *Ægea* recurrit in Isthmos.  
 Macte puer virtute, tuis si nomine tantum  
 Lætitiâ ingentem populis, & gaudia pandis:  
 Hostibus at magnum terrorem. quid resonanti  
 Fulmine cum quatiens urbes armatus? Eoi  
 Fracta patent jam *x* claustra, labant Rhodopeæ arces,  
 Altaque Pangæa, & Scythici ruit aula tyranni.  
 Nec capit abruptis fugientes horridus antris  
 Caucasus, & tutas vix dant Riphæa latebras.  
 At festos jam Roma dies indicit, & aris  
 Thura sacris adolenda Dijs Nabathæa reponit:

*Ad Regem  
 Romanum  
 apostrophæ*

Vo-

*x* Traiani Porta, angustæ *Æmi* fauces, per quas in Thraciam aditus patet.

Votaque perfolvit pro Thrace, Scythisque subactis,  
 Proque Asia regno, totoque Oriente recepto.  
 Assurgunt septem festivo murmure colles  
 Romulei, magnoque sonant Capitolia plausu.  
 Tunc ego, læva sinant modo Fata, per oppida circum  
 Te ducam Romana, puer, victricibus armis,  
 Et palmas, & facta feram sub sydera cantu.  
 Interea Piscator agam de gurgite Conchas  
 Purpureas, patrio niteas quo pulcher in ostro.

Principio lento parvas de vimine nassas,  
 Aut gracili intexes iunco, queis multa dehiscant  
 Exiguas maculis densata foramina: quales  
 Agrestes spisso calathi texuntur hiatu.

Intus & è putribus suspendes carnibus escam,  
 Aut Ranas, & Strombosque, quibus Conchylia mensis  
 Consuevere capi, nihil est & gratius illis.

Has igitur medias, instat cum tempus, in undas  
 Demittes. Dulci pelleæ munere Conchæ  
 Ore petunt avido nassas, tenduntque rapacem  
 Faucibus extantam densata per ostia linguam,  
 Ut tandem bibulo tangatur acumine Strombus.  
 Illum autem ut totum lambendo liguriat, imo  
 Guttur se toto producit corpore lingua.

Hinc ubi jam satura, & dulci pinguedine læta  
 Intumuit, juncis acris stat fixa dolore:  
 Nec valet angusto sese subducere textu.  
 Ipsa sibi mordax cassem struit, ipsa malorum  
 Causa est, exerto cum pungit acumine lingua.  
 At tu producto irretitam gutture testam  
 Educes, rubro sparsuram sanguine lanam.

*Et quæ hæc  
 tempestati  
 apud Phœ-  
 nices.*

At quæ Phœnices hæc tempestate rubentes  
 Veniunt Conchas dicamus. In æquora funem  
 Demittunt, capitique ligant leve suber: acuto  
 Sed prius è iunco, sparthove, aut vimine nassas  
 Exiguas, instar phyalæ, vel qualis hiulca  
 Fiscella, è lento textit quam pastor hibisco,  
 Compungunt, quibus ora tamen sint aspera mulco  
 Vimine, vel circum juncis hirsuta rigescant.  
 At sic adversa componunt cuspide juncos,  
 Quo proni interius sese ipso ex ore reflectant;

Ut

Ut facilis venienti aditus sit, deinde regressus  
 Difficilis, spilloque viam mucrone retardent.  
 Has funi nassas sua per discrimina necunt,  
 Imponuntque escas, altoque in gurgite linquunt.  
 Purpuræ, ut optatam comprehendant faucibus escam.  
 Insiliunt nassis, prædaque fruuntur opima.  
 Sed cum jam saturæ remeare è vimine certant,  
 Cuspilibus latè joncorum arcentur acutis.  
 Illas Piscator cùm lutea surgit ab Ænthis  
 Aurora, & terram radijs, Cælumque retexit,  
 Educit lætus, pressoque 1 papavere succum  
 Exprimit, Heroum niteant quo vellerà fuco.

Id tibi præterea cura maiore notandum,  
 Quò multa impensum releuet captura laborem.  
 Ut cassem jacias loca per saxosa, vel inter  
 Fœcundi cœnosa maris: nam plurima saxis  
 Nascitur, & pingui grandescit Purpura cœno.  
 Interdum nitida manibus captabis arenas  
 Sæpe solent ubi se Conchæ occultare rubentes.

Nunc age, piscatu qui mensis idoneus anni  
 Dicendum. Rutilo surgens cum Sirius astro  
 Emicat, & summis terram fervoribus implet,  
 Instrue tunc nassam, durumque ordire laborem:  
 Nam Canis exortu pinguescunt ubere frætu  
 Purpuræ, ostriferoque tume scunt sanguine fibræ.

Insuper his, præstat tibi multam impendere curam,  
 Ditia muscosis ut quæras 2 Buccina saxis:  
 Quandoquidem rubris ditescunt plurima gazis,  
 Quois Regum rutilæ possint ardere lacernæ.  
 Concava quîn etiam Mavortis in arma feroces  
 Sæpe ciere viros, animosque incendere cantu  
 Consuevere: mari postquam piscatus ab alto  
 Inflavit primus Triton, fregitque Gigantes.  
 Nam, si verâ sacro cecinerunt carmine Vates,  
 Cum ferrugineos Auroræ primus ad ortus  
 Buccina montano parflavit vertice Triton,  
 Illicet insueto visæ confurgere valles

*Saxosa in  
 locis ubi  
 vivit piscatio.*

*Quo anni  
 tempore in  
 stitenda  
 piscatio.*

*Buccina,  
 quorum in  
 bellis usus  
 primus à  
 Tritone.*

Mur-

1 Fibræ, è quibus purpureus liquor exprimitur. 2 Italis Cornette:  
 noñris Tufa. Galli Murces, Purpuras, Bie. Buccina Bie Cornette  
 dicunt.

108 HALIEUTICORUM

Murmure, & intonsi Cælo se tollere montes,  
 Quo magno tremefacta cohors clangore Gigantum,  
 Iratosque putans properare in prælia tauros,  
 Confestim jactis armis, atque agmine verso,  
 Per sylvas fugam arripiunt, perque in via, quâ illos  
 Ipsa sui mentita trahunt simulacra pavoris.  
 Sæpe ignara suæ mens est formidinis auctor,  
 Atque umbram ficta tantùm sub imagine pallet.

Sed tibi, quâ veniant formâ, quo picta colore,

*Illorum de  
 scriptio.*

Ostendam: veluti turbo forn:antur, & illis  
 Longior est testa, & medio stat latior orbe:  
 Attenuatus apex assurgit, & aspera dorso  
 Crusta est, & multo sepit se tubere circùm:  
 Parte sed adversa procurrun margine longo,  
 Quâ patulis incisa labris, lata ora patefcunt.  
 Interior nitido pellucida lumine candet  
 Altera pars testæ, & lævove notabilis ipso est.  
 Sunt quædam peregrina, rosas, quæ marmore pictas,  
 ( Nanque velut marmor dura est, & candida crusta )  
 Et curvæ referunt variantes Iridis orbes.

*Conchylj  
 descriptio.*

Hinc & digressus, qua sint 1 Conchylia forma,  
 Quove colorato splendescat lumine Murex,  
 E quibus ardentem pressat 2 Conchyta liquorem:  
 Caudice ab exiguo, magnoque volumine surgunt,  
 Et magis è lato, quam Buccina, nullaque circum  
 Tubera, nec densis horrent Conchylia spinis:  
 At villosa, quibus non curvo ditia gyro  
 Ora; sed oblongo, velut ova, foramine 3 blatta,  
 Quæ super oblongo pariter concludit amictu:  
 Blattaque odorifero fragrat dulcissima nardo:  
 Nardus enim succo Conchylia pascit odoro.  
 Hinc saxosa inter, nardi quâ spina virefcit,  
 Illa colorati carpunt de fluctibus Indi  
 Sole sub æstivo, siccâ cùm Naiade, cuncti  
 Defecere lacus: Indis nam finibus ipsa  
 Stagna, lacusque ferunt Conchylia, quæ frera ponti  
 Trans

---

1 Passim Conchylia, nostris Sconiglio à caracò Purpuræ species, ut  
 & Murex, Murice, Neapoli Crocetta. 2 Purpuræ opifex; hinc &  
 Conchyliaz veses, & Muricata. 3 Conchylj; Purpuræque opet-  
 culum; dicitur & Onyx, sive unguis à figura.

Trans Hellen spumosa creant saxosa secundum  
Litora, maiori testa sublucida candent,  
Talia Doris Arabs, & multo pinguis succo  
Educat: at fulva gignit quæ Persis in unda,  
Et Babylon operosa, nigrantia defuper ardent.

Qui solida gravis è testa, densaque videtur,  
Et firmis, rigidisque investit tergora clavis  
Amplior, & triplici sursum mucrone rigescit:  
Sed pars inferior cum turbine crevit acuto;  
Ceu' Pariusque lapis, candent convexa, sed intus  
Concava permiscet rutilum stellata colorem,  
Murex ille, suo faciet te flore beatum.

Murex quæ

Attamen hæc species non constans omnibus una est:  
Nanque hic marmoreus sublustri lumine fulget:  
Totus & hic minio, & nativo purpurat ostro:  
Ille striis incisus abit, quas virgula passim  
Multiplici exornat textu: succingitur alter  
Ensisibus, & fusco rutilat convexa colore:  
Lacteus hic est, atque obtuso turbine: densis  
Non tamen armatur gladiis, sed tubere turget.  
Atque alii, quos ipse tibi monstraverit usus:  
Nanque hic non omnes cupio comprehendere formas:  
Nec possem, licet ipse maris sub cærulea Proteus  
Duceret, atque genus varium, nomenque doceret.

Quam va-  
rius.

Attamen id non præteream, Conchyta, probandus  
Nimirum rubro qui sit tibi viscere Murex:  
Optimus est, Tyrio qui gurgite, qui que sub undis  
Assyriis scopulosa tenet loca, fœtaque musco  
Litora, & Oebalius pariter laudandus, & Afer,  
Baianusque tubens, nitido Phocaicus ostro,  
Et qui Gerulis pinguescit syrribus. At me  
Aurea Tyrthenas compellat Nefis ad oras,  
Et mihi purpureis offerre i Corallia ramis.  
Te sequar, ô patrii Dea litoris: ipsa repostos  
Piscanti reclude sinus, quo lætus opimam  
Herculea de rupe legam, tua munera, gazam,  
Dum puri rident Soles, Zephyrique loquaces,

Ubi signa-  
tur.

O

Et

1 Italis Corallo, Gallis Corail, Hispanis Coral.

210 HALIEUTICORUM

Et tenuis leni diverberat unda susurro.

Quà Surrentini lunato vertice colles

*Colomeli-  
dis villa  
descriptio.*

Planiciem nitido florentem vere coronant,

Est 1 locus, æquoreis qui desuper imminet undis,

A Graia quondam Nympha Colomelide dictus,

Quæ, cum Sirenes felicia regna tenebant,

Has lætas coluit sedes, & amœna vireta.

Apricis latè campis, & plurimus agris

Constitus, æterno vernant qui gramine, quique

Floribus omnigenis, & semper iaspide picti

Aspectu recreant animos, & lumina pulchro.

Insuper arboribus circum densatus opacis

Obtextu viridi ramorum protegit arua:

Et gratum æstivo præbet sub Sole levamen.

Gaudet & afflatu Zephyri, Solisque benigni

Temperie, Cæloque salubri, & Najade pura.

Ad litus magno vivæ sub fornice rupis

Est specus excisum manibus, cui plurima circum

E vivo pariter constructa sedilia saxo:

Desuper alta regunt oleæ convexa virentes,

Atque hederæ latè serpunt, sed cærulea myrtus,

Et muscus lætera investit, qui molliter halans

Prædulcem grati vim naribus afflat odoris.

In specus externo sensim Cratere refusa

Se Theris insinuat, lambitque sedilia fluctu:

Atque per ora fluens dum labitur, affilit unda,

Et pigros leni mentitur murmure rivos.

Non geniusve loci, aut aër felicior ullus

Ausonia in magna, totove beator Orbe est,

Ducere seu placidam tranquilla per otia vitam

A morbis procul, & curis, aut forte salutem

Quærere seu velis amissam: aut reparare labantem.

Non & Thermaicæ cautes, non Thessala Tempe,

Lætæque Penei non fortunatior unda;

Nec picturato consurgens vertice Pindus,

Carminibus vatum celebrata, & numine Divum.

Forte sub Æstatem medio dum Phœbus olympo

Li-

---

1 Elegantissima, atque amœnissima villa Collegii Neap. ad Surrentum, vulgo *Cocconella* dicta.



Libratur, radiisque incendit fervidus Orbem,  
 Huc omnes venere Deæ Craterides, & quæ  
 Circæi vicina colunt, & litora Amalphis.  
 In primis formosa Hyale diffusa capillum  
 Colla per, & niveos humeros, & candida Clotho,  
 Purpureis visenda genis, & floribus ardens:  
 Venit & Euphræe niveis succincta cothurnis,  
 Lubraque, Teleboisque, & Olympia, quæque beatos  
 Secellus, Misene, tuos coluere, Ligæa,  
 Atque Ephyre, nitidis incinctæ vestibus ambæ,  
 Ambæ puniceis religatæ pectora tænijs:  
 Inde Pythecusæ geminæ venere sorores  
 Anarie, Prochyteque, leves quarum altera Thynnos,  
 Altera Delphines gaudet superare natatu.  
 Et quæ Lucrino lustrat vicina Dicarchis,  
 Et Megara, & mammis venit candentibus Egle.  
 Adfuit inter & has Acheloidis, & bona Diva  
 Mergillina, caput citrorum fronde revincta,  
 Et latè suavem diffundens plurima odorem.  
 Atque aliæ, quotquot solito de more solebant  
 Ad Surrentinos lætæ divertere colles,  
 Et placidum gelido frigus captare sub antro.  
 Ipsa sed ante alias pulcherrima crine repxo,  
 Et calamo undatim intorto, flavoque sub auro  
 Irradiante, jugo venit de divite Nefis,  
 Atque omnes placido Nymphas afflavit odore.  
 Ut sedere Deæ per sparsa sedilia musco,  
 Una in sese oculos cunctarum visa sororum  
 Est Nefis trahere, & formosior una videri  
 Egregio cultu gemmarum, & divitis auri  
 Mirùm intertexti gemmis: nam pectora circum  
 Illa peregrinum religarat eburnea torquem.  
 Non prius è duris avulsa Corallia faxis  
 Exigua in segmenta recisa, poliverat arte  
 Egregia, atque una filis intexuit aureis.  
 Ergo novas aurato in torque rubescere gemmas  
 Ut videre Deæ, miro novitatis amore  
 Correptæ, Nefida rogant: Quæ munera? quique  
 Inventi primus fuit auctor? ubi reperta?  
 Talia vix dederant, cum formosissima Nefis

*Varia cam-  
 pania loca  
 Nympharū  
 nemibus  
 obumbrata.*

212 HALIEVTICORVM

His dictis ingressa: Mihi Piscator Iolas  
 Dilectus puer est, matri dilectus & ipsi  
 Nereidum, qui sepe meas festivus ad oras  
 Appellit, sociisque procul, cymbaque relicta,  
 Quæ frondosa colo super alta cacumina tecta  
 Solus adit, gaudetque meas invisere sedes.  
 Et mihi dona maris fert Ostrea, fert & Echinos,  
 Et Pinnae, Onychasque, & pictas iride Conchas.  
 Hic nuper munus, quo non donaverat ante  
 Me puer, è Baiis veniens tulit: ipsa neque unquam.  
 Aspexi: ramis & erant virgulta recurvis,  
 Et passim nodosa, rubroque infecta colore.  
 Ut mirata novum suscepi munus Iolæ,  
 Quæ virgulta? peto: & mediis quibus eruta in undis?  
 Omnigeni nam dona maris virgulta putavi.  
 Ille hæc: Baiano nuper de gurgite griphum  
 Dum trahimus, scissum, & præda spectamus inanem.  
 Una sed hæc tantum maculis virgulta ferebat  
 Implicita, & tenues spumosi gurgitis algas.  
 Quo viso de more Deos culpæ Lycotas,  
 Et Licydas puer, & Thelgon cœpere: sed ipse  
 In melius casum referens, ( quia sæpe sinistra  
 Ignaris pariunt nobis felicia casus )  
 Hoc sine Divorum non duxi numine factum.  
 Quæque indignati in fluctus demittere rursus  
 Non sine conviciis socii virgulta parabant,  
 Accepi: quæ, Nesi, tibi nunc munera porto:  
 Et poterunt prodesse; mihi nam numine dextro  
 Nescio quid magni mens augurat. Ipsa sed olli  
 Tunc meritas solvo grates, atque oscula libo.  
 Læta hinc Pausilypum, qui vates omnia novit,  
 Cæruleis quæcunque latent, fiuntque sub undis,  
 Vicina sub rupe peto & data munera monstro:  
 Et quæ sint, rogo, quisque esset mortalibus usus.  
 Non ille invitus (nostro nam captus amore est)  
 Respondit, totamque mihi rem ex ordine dixit.  
 Quam vobis, lentæ quoniam versamur in umbra,  
 Jam repeto. Vitreo quondam sub gurgite virgæ  
 Hæ fuerant scopulis adnatæ è vimine molli:  
 Et virides nitido rami sub marmore: bacca

*Quo casu  
 primum co-  
 vallia è  
 mari eruta.*

*Virgarum  
 in corallia  
 metamor-  
 phosi.*

Sed

Sed candore nivem referent: Perfeus illis  
 Sed postquam imposuit Phorcinos ora Medusæ,  
 Vim monstri, & durum tactu rapuere rigorem,  
 Ac simul epoto rubuerunt sanguine rami.  
 Hæc sed mira illis natura, sub æquore molles  
 Flexilibus fluitant ramis, viridique smaragdo  
 Per similes: jfundo sed cum tolluntur ab imo  
 Duritiem monstri accipiunt, liventque cruore.  
 Virgultis tamen hi casus fecere decorem,  
 Et pretium: nam vilis erat quæ marmore virga,  
 Tam nunc, gemma velut, pendebit candida circum  
 Colla puellarum, Regumque ornabit amictus,  
 Tuque vel imprimis facies pulcherrima torquem  
 Nesci, Deas uno superes quo ditior omnes:  
 Et simul inventi pro munere, Dia, Coralli.  
 (Nam sic purpureas dicent cognomine virgas)  
 Egregiam referes laudem, nomenque perenne.  
 Hinc mihi difficilem piscandi tradidit artem,  
 Et qui Tyrreni gignant Corallia fluctus:  
 Quo polienda modo; nam cum de caute trahuntur,  
 Corticibus veniunt scabris. Sic ore loquutus  
 In secreta Deus rediit, montemque petivit.  
 Ast ego litoribus nostris cum pulcher Iolas  
 Appulit, & solus tecti frondosa revisit,  
 Quæ mihi fatidicus vates narraverat, olli  
 Non invita fero, & rem totam ex ordine pando.

Hic Dea conticuit: festo sed murmure Divæ  
 Nereides plausere omnes, & litora circum,  
 Et circum fluctus fremitu assensere secundo.  
 Hinc ubi jam nimios lux inclinata calores  
 Fregerat, & placido ludebant murmure venti,  
 E saxo Nymphæ consurrexere cavato,  
 Inque suas, antro, sedes rediere, relicto.  
 Sic primum Tyrrenæ sinu Corallia Tethys  
 Reddidit, & rigida cœptum de caute revelli.  
 Sed quibus abruptis nascantur rupibus, & quo  
 Sint querenda Poli sub Sydere, non tibi multis  
 Expediam: longè invitæ me ditior unda  
 Electro, & rauco jam murmure plaudit Iader.  
 Principio ramosa ferunt virgulta Minervæ

*Loca, in quibus Corallia prevalent veniunt.*

Piscosæ rupes, habitataque litora quondam  
 Telebois, tepidæque reducto in gurgite Baiz.  
 Illa & Sardoï servant in murice fluctus,  
 Quæ Termustenui labens subit æquora rivo,  
 Non longè Hermæis è rupibus, atque ubi saxis  
 Præruptum mediis Hieracum attollitur undis.  
 Ipsæ etiam tenui ramo, minioque coruscam  
 Cyrnææ sylvam generant Phorcinida cautes.  
 Tales in Libyco Neptunus marmore virgas  
 Afer habet, tales sunt & Balearide lympha.  
 Dat subnigra Telo, dant Sthæcades, atraque trunco  
 Doris Ibera creat Corallia: plurima dices  
 Dant & Erythræi fluctus, & Persidos undæ,  
 Et freta Scyllæo semper pulsata latratu:  
 Nauque ingentem imo deductam gurgite plantam  
 Hic quondam egregii memini vidisse Coralli.  
 At Drapani litus contra, & Lilybeia saxa,  
 Izta ubi luxuriat diti Natura profundo,  
 Prægrandi trunco, & ramis maioribus ardent.  
 Hic ego, dum colles Erycis, monumentaque magni  
 Anchisæ, & portus, urbemque, & litora lustro,  
 Corallo vidi è magno, solidoque, tubroque  
 Affixi ligno formatum inigne Tonantis,  
 Et quanquam egregia sculprum foret arte, remissos  
 Ut patientis adhuc credas languescere vultus,  
 Atque animam sensim divellier: attamen ipsam  
 Materies superabat opus: ter dena talenta  
 Argenti insigni pretium fecere Corallo:  
 Quo non purpureo, solido nec corpore, longove  
 Aut magis æquato Doris submisit avara.  
 Quod superest, ubi jam nitidum Veræstra recluist  
 Obducta, & rutili radiant palcaria Tauri,  
 Tempestas dare vela Notis aptissima, & alto  
 Vestigare cavis virgulta rubentia saxis,  
 At cum terribilis Nemeæus ab æthere fulsit  
 Ore Leo, & multa fervens incanduit ira,  
 Tunc patriam præda dives, piscator, adibis.  
 His animadversis, quæ sine piscantibus artes  
 Edoceo. Geminam ligno molire quadrato,  
 Inque crucem compone trabem, clavoque refige:  
 Equè

*Insignis in Corallo passis Nominis effigies.*

*Tempus piscandi idoneum.*

*Piscandi instrumenta.*

Equè gravi in medio nectatur tessera plumbo,  
 Pondere quo subter descendat machina Nereum.  
 Inde trabes multum circa, spissumque revolve  
 Non bene de dura contortum cannabe fanem,  
 (Qui tibi texendus digito non latior uno est)  
 At inter truncos sic circumvolvere restim  
 Cura tibi, ut referat per crebra volumina gryphum,  
 Insuper his, duplici, solidoque liganda rudente  
 Machina erit cymbæ, è prora, puppique recurva.

His actis, ubi Coraliis loca fœta petisti,  
 Instrumenta mari demittes, aspera circum  
 Saxa, coloratis subter quæ virgea ramis  
 Assurgit sylvæ, & partes versanda per omnes,  
 Sese purpureos inter quò machina truncos  
 Implicet. Hinc imo vi deducenda profundo est  
 Equore; multa feret convulsa è murice duro  
 Virgulta, & lætum faciet te divite præda.  
 Illa sed inprimis, seni dum marmore ab imo  
 Instrumenta manu trahitis, sit cura adhibenda,  
 Ne molli int ortus rumpatur cannabe funis:

Nanque leves facilè mergentur in æquore cymbæ.  
 Sunt qui marmoreum vellunt de marmore vimen  
 Retibus è solido juncorum vimine textis,  
 Cannabe vel dura, & digitali corpore torta.  
 Ast alii in medium nudi de puppe profundum  
 Proiliunt, rigidoque secant Corallia ferro,  
 Aut manibus segmenta legunt, quæ retibus ipsi  
 Extiderant: verùm cristallo albente politos  
 Orbiculos oculis imponunt desuper, imo  
 Clarius ut fundo valeant dignoscere virgas.  
 Nam virgulta inter Corallina plurima sæpe  
 Futilis exoritur radix, mentita colorem  
 Coralii subnigrum, ipsique simillima ramos.

At non candentem saxo divellere sylvam  
 Contemnas, piscator, erit pretiosa nitore  
 Illa suo; quia rara magis: nec crimine Nymphæ  
 Tacta luit pœnas: alieno aut tincta pudore est.  
 Nihilum casu virgas exemit iniquo  
 Doris: & esse sibi iussit sua munera. Sed jam  
 Informatam modis Siculorum machina miris

*Quæque pda  
 scandi ars  
 fit.*

*Capientur  
 atiam vris  
 nando.*

*Candida  
 Coralia.*

## 216 HALIEVTICORVM

Exciderat porro cantanti, quam tamen olim  
 Nunc memini Drepano me conspexisse sub alto.  
 At miranda hominum quæ sint inventa Sicani, .  
 Singula non tenco, Vos ò memorate canenti  
 Sicelides, patriæ mihi Vos Telluris honores  
 Dicite, non calamis defunt, non carmina vobis.

*Qua machi-  
 na à Siculis  
 perquiran-  
 tur.*

Quadratæ Crucis in medio non tessera plumbi  
 Inferitur, verum subiecta è parte retorto  
 Adnectunt lino solidum de marmore saxum .  
 E medio pariter per brachia quattuor ipsa  
 Vimineam extendunt restim, extremisque revolvunt  
 Retia & extremis addunt glomerata quaternis:  
 Eque jugo geminus pendet suspensus eodem  
 Hinc inde in medio funis, qui corpore denis  
 Longus erit pedibus, lino oneratus & ipse.  
 Alterius sed parte jugi religatus ab una  
 Funis erit, connexa cui stant retia quinque.  
 Hinc inter mediumque 1 Crucis, saxumque retorta  
 Cannabe de gemina solidam, spirisque plicatam  
 Transennam religant prælongam passibus octo .  
 Hanc verò accipiat funis strictissimus alter,  
 Longior & centum qui passibus ire sub altum  
 Possit: & hic quinis distinctus partibus, una  
 Maior erit: reliquæ decrescunt ordine, nodisque  
 Excipiant sese multis, strictimque plicentur.

*Et quo pa-  
 tere.*

Inde Corallilegum cum jam demittere ponto  
 Tempus, & è scopulis rubram convellere sylvam;  
 Adnexum juxta saxum circumque, supraque  
 Retia multiplici spira, saxumque revolvunt:  
 Demittuntque mari tandem de puppe supinum,  
 Utque trabes fundo, revolutaque retia saxum  
 Deferat, inque omnes spargantur Dyctia partes,  
 Implicitis captura sinu Corallia ramis.  
 Ceu venator ubi jactu glomerata relaxat  
 Retia, confestim gremio comprehenditur omnis,  
 Quæ picturatos errabat turba per agros,  
 Aut inter saltus complebat sydera cantu.

Sed

---

1 Hanc machinam Siculi *Rizza* vocant. funem verò *Caloma*: non  
 stri etiam nauticum funem, qui modò explicatur, modò reducitur  
*Calomâ* dicunt.

Sed quid, si duris impingant retia faxis,  
 Marmoreamque inter sylvam revoluta resistant;  
 Educi ut nequeant imo de gurgite, paucis  
 Præcipiam. Solido circum de robore primùm  
 Compinges, geminumque hinc inde adiungito saxum:  
 Hinc latum, longumque tribus suspendere palmis  
 Niteris circo truncum: cui plurimus insit  
 Undique per gyros è ferro clavus acuto.  
 (Dicitur hic Siculis patrio sermone satelles)  
 Huic pariter saxum, fundo quo se ferat imo,  
 Fune ligant valido: validoque revincitur ipse  
 Circus fune: mari qui mox conceditur alto.  
 At prius inseritur circo transfenna rotundo,  
 Qua Corallilegum firma de puppe tenetur,  
 Desuper ut rectâ perat instrumenta satelles,  
 Atque impacta cavis, transverso retia ligno,  
 E scopulis multa clavorum: cuspide vellat.

*Impacta  
 scopulis  
 machina  
 qua indu-  
 stria extra-  
 hatur.*

Tandem quisquis abis nostro de carmine doctus,  
 Has mihi pro cura multa, impensoque labore,  
 Has vellem & Musis grates, Piscator, haberes:  
 Coralii qui ramus erit pulcherrimus, illum  
 Donato Superum Regina: & pronus ad aras  
 Cum tu dona ferēs, hæc dicitō: PARTHENI, sint hæc,  
 Parthenio pro vate tuo donaria dicta.

Sed me trans Alpes Arctoa ad litora dulcis  
 Raptat amor: juvat ire, ratis quâ nulla priorum  
 Fecit iter, gelidis quâ nec piscator arenis  
 Flava salutifero sublegit 1 Succina succo.  
 Forsitan hoc nostro dabitur medicina doloris:  
 Et quæ lethiferis subter præcordia fibris  
 Flatibus assidue insultat, spargitque venenum,  
 Succineo tandem pereat medicamine pestis.

*succina*

Pestis Tartareo quâ non crudellior Orco  
 Erupit, nigraque trahens caligine nimbum,  
 Eumenidumque odiis, Furiisque afflata malignis,

Omnem

1 Nostri *Ambra*, Hispani *Ambar*. Galli *Ambre*. citrina vocari so-  
 let, ut ab *Ambare* distinguatur, quæ vulgò *Ambra grisea* nuncupatur.  
 Antiqui ab Arboribus manare putarunt, depresso tamen est à Mo-  
 dernis è faxis effluere, & frigore densari, præcipuè in Balthico mari,  
 ubi ad Borussiae litora ingens copia colligitur,

*Hypocōdri-  
ca lues de-  
scribitur.*

Omne momento terrarum effusa per Orbem,  
 Proh! quantos miseris casus, stragesque creavit.  
 Nam non una mali gliscit violentia, centum  
 Diversos agit effectus, diversaque rerum  
 Portenta, & formas mutat vis effera centum.  
 Ceu Proteus ( si véra canunt ) sæpe assolet omnes  
 In rerum species, & in omnes ire figuras,  
 Sunt, quibus halituum densa stipante corona,  
 Lethifer insedit circùm præcordia pestis.  
 Ac velut interdum crebris assultibus arcem  
 Improvisa petit manus, obsessosque fatigat:  
 Ut sic trasmitti fossam, valloque potiri  
 Detur, & in capta tandem dominatier urbe.  
 Non aliter vitæ irrumpens ferus impetit arcem  
 Halitus, & tetra effusus cor occupat umbra.  
 Excutitur primùm miser, atque horrore rigescit  
 Spiritus: hinc subito languescens supprimitur cor.  
 Ceu oleam super accensam si protinus undam  
 Spâtteris, extemplo maior se flamma sub auras  
 Attollit, fremituque sonat, circumque relucet:  
 Sed cita deficiens mox decedit, & perit omnis.  
 His verò in caput exhalat tenuatus, & ipsum  
 Immissus cerebrum pervadit, agitque futuros  
 In varios, miserisque modis, lacrymabile, miris  
 Excruciat: hi se tetrus humoribus acti  
 Perdere amant, & sponte ruunt in flumina, & undas:  
 Perque ignes alii, ferroque absumere vitam  
 Exoptant: illi sese demittere ab alto  
 Præcipiteque voluere: hos &, quos inficit aura  
 Tenuior, & sensim obuelat perfusa cerebrum,  
 Acutum aspicias dulci languescere somno,  
 Exanimi similes: at nunc baccharier æde:  
 Ceu quos Liber agit, stimulanis præcordia thyrso.  
 Hic risum ciet inconcinnum, & non bona verba  
 Effutit: digitos movet hic sine lege solutos:  
 Hic pedibus saltat: longa vertigine fertur  
 Alter, & obducta caligant lumina luce.  
 Hunc montes, altæque juvant in montibus umbræ,  
 Ac nemorum deserta colit loca solus, & omnes  
 Urbanos odit streptus, Martisque tumultus.

At.



Alter at hic, media quamquam versetur in urbe  
 Solus agit vitam, atque hominum consortia spernit.  
 Hic colles petit apricos, & amœna vireta,  
 Et valles, & prata, levique sonantia rivo  
 Flumina, & herbofo depictas margine ripas.  
 Versari ingenuos inter cupit ille sodales,  
 Ac lepidos miscere iocos, & mollia verba:  
 Sicque dies trahere in longum: sed si citus inde  
 Denfior ex imo exhalet vapor, omnia, rupto  
 Fœdere, turbantur: veluti cum pace refracta,  
 Qui quondam socij fuerant, sese illicet armis  
 Invadunt, acuuntque iras, & prælia miscunt.  
 Ipsultat dictis mordacibus, omnia vertit  
 Turbidus, ore fremens, furiiisque incensus iniquis,  
 Hac miser, atque illac agitur: quæque ante placebant,  
 Odit colloquia, & simul ipsos odit amicos.  
 Sunt infelices alii, quibus efferus hepar  
 Excruciat dolor assidue, quique humida serpens  
 Spargitur interdum diffusa in viscera peste.  
 His ventosa crepant hypocondria, creber & intus,  
 Proh dolor! insanos stimulis agit Æolus Euros:  
 Sed quot terra lues species, quot dira nocendi  
 Semina, quotue modos habeat, quis versibus unquam  
 Explicet, aut possit tantos æquare labores.  
 Verùm dira licet sint tot contagia morbi,  
 Ingentesque ferant ærumnas: attamen illud  
 Haud equidem nobis animo meliore ferendum est,  
 Quod studia in pefsum (proh fata occulta Deorum!)  
 Atque artes simul ingenuas, Musasque dederit:  
 Nanque infanda lues non segnes impetit artus,  
 Nec molles animos, & amantes ocia vexat:  
 Sed quos Phœbeæ succendit gloria lauri,  
 Ut primos Musis annos, floremque sacrent,  
 Hos illa, hos Stygio invadit lymphata furore.  
 Quid tantum, ò Superi, meruerunt Palladis artes,  
 Ingenuz, ut tanta illuvies erumperet Orco,  
 Qua iuvenes ipso correpti in flore iuventæ,  
 Aut cum Pieriis facerent divortia Musis,  
 Aut dulcem lacrymanda darent per funera vitam!  
 Credo equidem, malefana luem Phlegetontis ab imo  
 In-

*In quos  
grassavit*

## 220 HALIEVTICORVM

Invidiæ nuper stimulis agitata malignis  
 Tyſiphone immiſit terris; quia ſcilicet illa  
 Undique Apollineis florentes artibus urbes  
 Viderat, atque necem vitiiſ inſtare ſupremam.  
 At vos Cœlicolæ purum quicumque tenetis  
 Æthera, & innubi fulgentes lumine Soles,  
 Inſandam, precor, hanc terris arcete benigni  
 Illuviem, Stygiasque iterum detrudite in umbras,  
 Si vobis ſtudia, & virtus pulcherrima cordi eſt.  
 At tu Phœbe Pater, tuque ò Tritonia Pallas;  
 Quandoquidem res veſtra agitur; nam numine veſtro  
 Monſtratae primùm doctæ mortalibus artes,  
 Ferte pij dextram, & communem extinguite peſtem.  
 Nec finite, ut veſtros inter graſſetur aluminos:  
 Et ſtudia ingenti tandem collapſa ruina  
 Dira lues impunè trahat: deſertaque paſſim  
 Flumina Permeſſi jaceant, Pindique beatum,  
 Argutumque nemus. Verum ſi Pata Deorum  
 Obſiſtunt immota, neque eſt revocabilis unquam  
 E terris immiſſa lues, oſtendite ſi quid  
 Reſtat opis, vel quæ morbo medicina, trucem quæ  
 Pellere ſi nequeat, poſſit lenire dolorem.  
 Verùm ſi nec opis quidquam, nec cura relicta eſt  
 Perniciem adverſus tantam, concedite id unum:  
 Tarda per ingenia, & quæ non ſolertia corda,  
 Atque per ignavum ſerpant contagia vulgus.  
 Sed iam ventus agit felici flamine vela,  
 Quo me nunc vocat Eleærum, & ſpes certa ſalutis.  
 Oceani quondam ad litus, qua præpete curſu  
 Miſcet Hyperboreis ſe fluctibus altus lader,  
 Venatu è multo deſeſſæ, æſtuque puellæ  
 Naiades venere, dies dum flagrat hiulco  
 Sydere ſub Cancri, & medio Sol altus Olympo eſt.  
 Hic illæ, quoniam verſantes lumina circùm  
 Litota ſola vident, lenique ſilentia fluctu  
 Æquora, conſeſtim tutæ formidine nulla,  
 Muſcoſa ex humeris ponunt velamina, ſaltuque  
 In mare proſiliunt alacres, teneriſque lacertis  
 Per vitreas undas, circùmque Eleætrida nabant.  
 Fortè ex adverſo ſcopuli ſub rupe cavata

*Succini  
 procreatio  
 fabula adu-  
 brata.*

Cæ.

Cærulei stabant Glauci, Phorcique petulci:  
 Qui placidis innare vadis ut candida spectant  
 Agmina, & hæc illac niveis per cæcula palmis  
 Ire, redire vias, atque interdum prona sub undis  
 Occultare caput, rursusque attollere in auras:  
 Et simul æquoreo conspersos rore capillos  
 Excutere: acutum mediis in fluctibus ignes  
 Proh quantos hausere Dii: crescitque repente  
 Ingens flamma: velut cecidit si forte favilla  
 Arentes inter stipulas, volat illicet orta  
 Immensa in Cælum correpto è fomite flamma.  
 Et jam pectus edax pervaserat æstus, & imis  
 Haud conclusa fibris sese male sana tenet vis.  
 Ergo avidi bifida scindentes marmora cauda  
 Insiliunt: verum pulchræ cum Naiades illos  
 Aspexere, metu percussæ protinus acri,  
 In mediis hætere vadis: nec quid sibi agendum  
 Prospiciunt: celeri curtu ne fida requirant  
 Litora, virgineus prohibet pudor; omnia quando  
 Nuda patent, tutum sed nec consistere in unda est.  
 Cum lacrymis ergo rorantibus, & prece multa  
 Nereidas, Tethynque vocant. clamoribus omnes  
 Excitæ venere Deæ: sed dura propinqui  
 Bracchia tendebant Dii, nec spes jam amplius ulla  
 Libertatis erat: quin & contraria Fata  
 Obstabant. lacrymis ergo permota decoris  
 Nereidum mater, casumque miserta Dearum,  
 Non ultra vitam, sed servatura pudorem  
 (Nam gratus Superis pudor est, & pulchrior omnem  
 Ipse unus vitæ superat mortalis honorem)  
 Protinus in rigidas iussit durefcere cæutes.  
 Quæ, sensus quoniam superest hic unus, acerbos  
 Dum casus miseræ deflent, atque aspera Fata,  
 Muscosis stillant flaventia Succina saxis.  
 Frigore quæ multo concreta, æstuque marino  
 Sithonii vicina ferunt ad litora venti.

Hic tu Naiadum lacrymas, quas Succina nostri,  
 Electrum Graii quondam dixere vocantes,  
 E nitidis dextra carpes, piscator, arenis:  
 Cæfareos sicco Phœbus dum sydere menses

*Succina ut  
 è mari le-  
 guntur.*

Per-

222 HALIEVTICORVM

Permeat, obstriditque silent strata æquora ventis.  
 At prius auratas innantes Doride guttas,  
 Nudus aquam puer ingressus sub litora coget.  
 Flava ubi dona legant socii, serventque quasillis,  
 Ingentem domino quæstum laturo superbo.

Verùm, maiori turgent quæ corpore guttæ,  
 Et pura, rutilaque nitent fiavedine succi,  
 Illas, si tantum meruit, seponite Vati,  
 Piscantes: meliore vices sic Numina vobis  
 Piscatu reddant, Cælumque innube serenent.  
 Et vobis pars laudis erit, pars muneris. illas,  
 Si valet ingenium Vati, si dextera pollet,  
 Numinis in Passi tentabo effingere vultus.  
 Illos & quatuor Chryso è gurgite lectis  
 Stellarum in formam nitat contexere gemmis:  
 Quæ totidem referant Medicæia 1 sidera gemmæ.  
 At Crucis extrema sub parte exculpere Magni  
 Signa Ducis conabor: erunt radiante sub auro  
 Purpurei circum intertexti quinque 2 Pyropi,  
 Inque globi effigiem facti, sextusque Smaragdus  
 Maior erit, super impositus; cui lilia flore  
 Aurato tria sculpta: tui monumenta decoris,

*Ad Cardinalem MEDICÆUM apostrophe.*

O Princeps MEDICÆE, Sacro quem Purpura fucò,  
 Tot Patrum titulis, & tot virtutibus, ipse  
 Insigni quibus effulges splendore per Orbem,  
 Promerita exornat, summisque Heroibus æquat.  
 Hoc tibi, si nostrum non dedignabere munus,  
 Stabit opus, operique addam memorabile carmen,  
 Cùm non infœta regnabis sede Quirini:

*De Summo Pontificatu anspiciunt.*

Numinis inque vicem venies: vertique videbis  
 Omnia sub pedibus: votisque vocaberis: & cùm  
 Idem hominum Pater, & Rex idem, idemque Sacerdos  
 Summus eris, sacra qui reddas oracula Mundo.  
 Spes animi nec vana: futuri præscia quando  
 Mens Vatum, totoque calenti præcordia Phœbo.  
 O utinam properent felicia secula! Vos ò  
 Festinate, Deæ, pernicipibus aurea fufis

Vel-

1 Allusum ad Iovis Satellites à Galilæo detectos, & à Magni Ducis Hetruræ cognomine nuucupatos. 2 Allusum item ad insignia eiusdem Principis.

Vellera Divorum Fatís explere secundis:  
 Et citò Pontificem MEDICÆO è sanguine Mundo  
 Reddite, qui Patrum mores instauret avitos,  
 Qui sanctas renovet leges, ac fœdera firmet  
 Christiadum, & Scythicos qui prælia vertat in hostes.

Ast opere è tanto quotquot ramenta supersunt,  
 Ipse mihi tenuem nativi roris in undam  
 Phyllirides solvat Chiron, & plurimus igni  
 Ignea paulatim deducat semina ab illis,  
 Queis medicina malo non est præstantior ulla.  
 Nanque sub Auroram ter quinis pota diebus,  
 Materiem sensim attenuant, mucumque resolvunt:  
 Humoremque coquunt crudum, & frigentia corda,  
 Languentemque suo refovent thoraca calore:  
 Dira venenati nanque hæc sunt semina morbi.

Nuper ego patriæ vidi Sirenis alumnum  
 Maiorem insignem titulis, opibusque potentem,  
 Qui quanquam forma egregius, vultuque decorus,  
 Atque oculis formosus: erat sed maior in illo  
 Dos animi: nivei mores, mens candida, & acre  
 Ingenium, doctusque animos vincere merendo,  
 Pronus in officia, & leni blandissimus ore.  
 Hic puer egregiæ correptus laudis amore,  
 Se totum dulci Phœbo, Musisque sacrarat.  
 Et jam Farnassi per culmina, perque beatos  
 Permessi fontes, & apricæ flumina Cyrrha,  
 Veloci in vectus biga, lustraverat omnes  
 Musarum sedes, diumque exhauserat æstrum.  
 Quin etiam arguti superaverat alta Lycæi  
 Victor, & astrigero cursum affectabat Olympo.  
 Cum juvenem improvisa (Deum pro Numina) pestis  
 Invasit, totumque effudit pectore virus.  
 Continuo ver purpureum, lumenque juvenæ  
 Disperit, roseusque color defluxit ab ore:  
 Et ferrugineus languet puer, aureus olim  
 Qui fuerat, sordentque remisso lumine vultus,  
 Ceu rosa, nativo quæ nuper caudice secta,  
 Pallentes sensim demittit languida crines.  
 Et tandem, bacchante lue, duro puer esset  
 Extinctus Fato, misero ni dona dedisset

*Ut è succo  
 mo tenuiss-  
 ma partes  
 educantur;  
 quibus lni  
 consultitur.*

*Ingenii a-  
 dolescentiæ  
 indoles.*

*Et tabes mi  
 seranda:*

Elep

in succino  
septimus.

Electri Chiron calidis rorantia guttis.  
Succina ter quinis vix hauserat ille diebus,  
Cum nitidus, mirum! confestim effulgere visus  
Oris honos, roseæque iterum florescere mala,  
Et sua temperies animo, & vis reddita membris,  
Languescunt veluti sicco cum flumine flores  
Æstivo sub Sole, Polo si plenus ab alto  
Decidat imber, aquis sitientia gramina potis,  
Nativum accipiunt redivivo flore colorem.

Sed satis è clivo divertimus, & furor atery  
Et longè invisæ rapuerunt flatibus auræ:  
Iaque referre pedem tempus monet: æquora gemmis  
Nunc me læta vocant; plauduntq; à gurgite Nymphæ  
Chryso, & totus plausu resonat Eous.

FINIS.







*S'immerse In*

*Etu<sup>us</sup> Vivunt Sculpz*





# HALIUTICORUM

## LIBER X.

**S** Ed jam me Zephyri veſtant: pernicious alis  
 Auroræ in ſedem, Rubricque ad litora ponti,  
 Et quæ gemmiſeræ rutilant vada Perſidos, & quæ  
 Innuit in gremio nitidis Indica Conchas.  
 Magnum iter aggredior: ſed ſi pulcherrima Virgo  
 Aſpiret cęptis, veniam ſecurus ad oras  
 Purpureas, Aurora, tuas: & primus opimam  
 Hactenus intacto furabor ab æquore prædam.

O adſis, bona Diva, levi da currere cymba  
 Felices Orientis aquas, ubi gemmea texam  
 Serta tibi, & præda faciam de divite torquem.  
 Quæ, cum ſolennes materno in litore pompas  
 Ducemus, ſacri celebrantes annua partus,  
 In delubra feram voti reus. ò age, Virgo,  
 Sterne rati pontum, & ventis da vela ſecundis.

Tu vero extremi partem ne ſperne laboris,  
 CARDENIDE, noſtris ſemper memorande Camænis!  
 Nec Margaritas pigeat procul ire legendas  
 Per molles Arabum tractus, Carmanaque propter  
 Litora, & oſtrifero ſub gurgite Tethyos Indæ.  
 Non labor incaſſum: quas legeris æquore, gemmæ  
 Munera grata tux ſint Phyllidi, ſe quibus ornet  
 Plurima, colla novis diſtinguens candida baccis,  
 Atque novum articulis addat decus. Ergo age, mecum  
 Carpe iter Oceano: iam te ꝛ Chryſeides, & te  
 Doris Erythræo compellat ab uſque rubenti.

P

Prin-

---

ꝛ Vide VIII. Nauticorum,

## 226 HALIEVTICORVM

Principio 1 Matrum varia est natura: nequomnes  
*Concharum* Sunt formam similes, & corpora: non & eodem  
*Margariti-* Grandescunt utero, vel sætis ubere lactant.  
*ferarum* Indica, quæ patrio cognomine Berberos olim  
*species di-* Appellata Indis, verfa quam voce Cheripon  
*versa.* Jam dicunt: Graio Romani nomjne Concham:  
 Pulchrior, & pulchris à Unionibus apta creandis.  
 Est autem duplex harum genus: una nitenti  
 Argento insignis multo, & fulgore corusca:  
 Altera flava rubet, rutilæque simillima flammæ:  
 Utraque sed lævis: nec non & Pellimis instar  
 Aurita, & sparsim signis subtermjcat aureis.  
 Non moles cunctis stellati corporis una  
*Et corporis* Matribus: Eoi repunt quæ gurgite Nerei  
*moles.* Taprobanen juxtâ, & Coryn, ditæque potentum  
 Sindarum scopulos, Erythræque, & Perfidis oram  
 Prægrandi rutilant sub corpore. capta sub undis  
 Hic olim, ut memorant, à piscatoribus ingens  
 Concha fuit, qua maior aquis non crevit Eois:  
 Quinquaginta caro pendeat gemmea pondo.  
 Tantum in divitias versat se læta marinas  
 Natura, & gemmis gaudet Thetin ire superbam.  
 Insignes etiam Conchas progignit in antro  
 Doris, Atlanteo quæ gurgite perluit Indos.  
 Hesperios, latèque novum complectitur Orbem.  
 Sed conclusa sinu quas educat Amphitrite,  
 Quas & Hyperborei fluctus fovere sub Arcto,  
 Exiguo testæ rutilant sub tegmine Matres.  
*Ad litora* Præterea quæcunque colunt vicinia tetræ,  
*parva sunt* Per scopulos parvæ repunt, & saxæ Conchæ.  
 At quæ litoribus gaudent procul ire sonoris,  
 Maiores utero turgescunt cœlite partu.  
 Verum quæ magno præcellunt corpore, vasti  
*In alto grâ* Longius alta secant pelagi freta: Nanque reposita  
*diors.* In penitis pretiosa latent: nec pervia cunctis

Di-

1 Sic vocamus Conchas Margaritiferas; quas nostri *Mawperle*, Galli verò, & Germani *Nacre de Perles*. 2 Nostri *Perla*, & *Perna*, Galli, alizque gentes *Perle*. Indi ut refert Arrianus Cinnædum vocant, Americani, in *Paciz*, Curianæque regionibus *Teneros*.

Ditæ Naturæ sunt munera. Verum age Conchas  
Nunc alias, divina ferunt quæ pignora Cæli,  
Dicamus. Niveas producunt saxea gemmas  
Ostrea, & è Pinna baccas decerpit Acarnan.  
At quæ Chryso sylvescunt æquore Pernæ,  
Subnigram ex utero baccam, rufamque dedere.  
Hanc nitidis vafer immiscet piscator: iniquum  
Ceu loliū messor flaventes inter aristas,  
Sæpè etiam unigenas utero fudere sorores  
Musculus 1, & multo resplendens 2 Mytilus ostro,  
Tympanaque, & Cochleæ, spinisque armatus Echinus,  
Dives Erythræa serpit qui plurimus unda.

*Et quilibet  
aliis testis  
produuntur  
sunt.*

Hinc & digressus, jubeo, piscator Eoi,  
Te variam quoque progeniem cognoscere Matrum:  
Nam cunctis nivei moles non corporis una est.

Turturis hic ovo par gignitur: anseris alter  
Unio grandescit, visu pulcherrimus ipso:

*Quam varij  
uniones  
sunt.*

Qualis in Europam nunquam devector ab Indis,  
His tamen insignes auro, baccisque coruscis,  
Sindzos 3 perhibent Reges ornare coronas:

*Insignis  
unio.*

Et Reges, 4 Eubagna, tuos, Atlante reposta  
Ammericæ qui regna tenent ditissima gemmis,  
Alter avellanæ par corpore, & alter ocello

Auratæ similis candescit: cætera turba,  
Ceu granum flavæ Cereris, densatur in orbem.

Hos inter reliqui qui se inseruere, minores,  
Crystalli ramenta velut: servire fugandis  
Quos Chiron docuit morbis, diusque Melampus.

Nunc Margaritis, qui sit spectandus Eois  
Præcipuus color, expediam. Quæ lucida Matris  
Ex aluo venit, & nitidis fulgentior astris,  
Censetur reliquis inter præstantior, & quæ

*Varius color,  
& qui  
præcipuus.*

Purpureum velut aurum ardescit, & ignea flammam  
Multa refert: verum rufo quæ tota colore,  
Et fusco, nigroque micat, quam procreat altus

Bosphorus, immitesque legunt per litora Thraces,  
Haud pretiosa: velut niveum nitet altera marmor

1, 2 Nostris uno vocabulo appellant à similitudine *Deni di cane*,  
3 *Bornei Dynastæ* 4 *Insula Ammericæ*.

Nobilis, & multo radiat lævore polita.

Quæ maculis lita cœruleis, variataque punctis  
Provenit, haud equidem multū laudanda magistro est:  
Quique 1 Caledonius venit Unio axe sub alto  
Decolor, & gelidis livorem ducit ab undis.

*Unionam  
varia for-  
ma.*

Sed diversa modis quot sit nunc Conchea miris  
Bacca, canam. lato sensim de caudice surgit  
Hæc cuneata, pyrum veluti, cui nomen Elencho  
Græcum est: Romani oblongam vertere vocantes.  
Hæc ovo similis concrefcit, & illa rotunda,  
Ceu globuse egregiè tornata, & lævior ipso  
Aspicienda Elephanto, aut Oricia Terebintho.  
Hæc potior cunctis gemma est; pellucidus olim  
Unio ab ostrifera sublectus Doridos aluo,  
Quem Natura parens exactum sedula in orbem

*Mirum miris  
in orbem  
fessur.*

Artifici digito tornaverat: undique circum  
Æquus erat globus, & lævore notabilis ipso.  
Qui lævi, ut perhibent, in saxo immobilis unquam  
Momento haud uno visus consistere: verum  
Hæc, illac multis trepido pede cursibus ibat.  
Non secus argenti cum vivi lucida gutta  
Decidit in marmor: vel qualis in æthere stella  
Voluitur, & trepidans vaga per vestigia fertur.  
Longior hæc gēma est, viridemq; imitata 2 Triorchia:  
Illas Concha, suos veluti labrusca racemos,  
Protulit: hanc verò Graij dixere 3 Botryten,  
Hæc socios necit partus, & corpore in uno  
Punica grana refert: cognomine dicitur illa  
Saurites, fœtu similis visenda lacerti.  
Hæc sed multiplici bacca, squammisq; renidet  
Plurima: squammoso rutilat ceu piscis ab auro;  
Atque aliz: neque enim numeris comprehendere refert,  
Quot variis gemmam formis Natura creavit.

*Quibus in  
locis na-  
scentur Ch-  
cha Marg.*

Nunc age, quæ vada progignant felicia Conchas,  
Dicamus: quæ Doris Arabs flaventibus undis  
Purpurat, & rutilæ spuma lætantur arenæ,  
Mille per undosos repunt Conchylia campos.

Ve-

1 Qui ad Scotiæ litora capitur. 2 Nota agricolis *Saurione*.  
3 In Botri similitudinem facta.

Verum quâ pictis secat hinc sua Persa phaelis  
 Æquora, & hinc mollis, nimioque ab Sole perustus  
 Cursat Arabs, testis gravidæ maioribus undæ  
 Luxuriant, maiorque sinu nitidissimus humor  
 Insigni candore tumet concretus in orbem.  
 Tales dives alit vicino 1 Armusia ponto,  
 Et saxosa 2 Tyli qui circum spumeus æstu  
 Regna sonat Nereus; ditem quæ Persida gentes,  
 Quæque Erythræa colunt vicinia, quæque beatos,  
 Nile, tuos vertunt splendenti vomere campos,  
 Et nigri Æthiopes, pictique coloribus Indi,  
 Huc properant alacres, quæsitum ditia Cæli  
 Munera: nec segnes terrarum è margine Seres,  
 Non & Lyfiadæ per Eoi cærule currunt  
 Ad lacrymas, formosa, tuas, Aurora, legendas.

In fidi  
 Persico

Præterea Conchas gremio Thetis Inda beato  
 Pergemmata creat passim æquora: non tamen una  
 Ætheriæ cunctis generandæ gloria gemmæ  
 Fluctibus est; ponto quâ se spatiosa per ora  
 Decurrens pleno \* Solen torrente refundit,  
 Et quâ flaventes findit \* Mæsolus arenas,  
 Non magno veniunt visendæ corpore Conchæ.  
 Maiores 3 Elyræ circum purissima Testas  
 Marmora Doris habet: sæcundaque Matribus alta  
 Stoidis 4. Una tamen reliquas ditissima terras  
 Taprobane longè superat, quæ litora passim  
 Eois sua læta videt candescere baccis.

In Oceano  
 Indico.

Non secus ac primo cum labi sydera motu  
 Incipiunt, radiis latè splendere coruscis  
 Astrorum superi spectantur concava Cæli.  
 Nec minus ipsa suas 5 Halieutis proxima Conchas  
 Ora sinu jactat grandescere. Quâ Thetis Inda  
 Taprobanen, Corynque suprâ Pandionas undis  
 Alluit 6 Agaricis, tractu jacet arida longo

Ad Tapro-  
 banen.

Ad oram  
 Pandionis,  
 ubi opti-  
 ma. Cuius  
 sinus descen-  
 ditur.

P 3

Pla-

1 Ormuz 2, 3, 4. Insulæ Persici maris \* \*, Indici fluvij pro-  
 pte Cattigaram Calecut. 5 Ora Orientalis peninsulæ intra Gangem,  
 ubi olim Pandiones habitabant, quam nunc ab insigni Margarita-  
 rum piscatione, Piscariam vocant. 6 Sinus Agaricus, qui Gaugeti-  
 ci pars est, inter Indicam peninsulam, Ceilanum, & Coryn, quæ Ma-  
 riva barbaris indigitatur.

230 HALIEVTICORVM

Planities extensa, recurrit & usque sonantes  
 In scopulos, Comorine, tuos, qui vertice ab alto  
 Felices contra spectas sylvescere montes.  
 Non cultu parens, nec fertilis ubere glebæ:  
 Nulla Ceres campis flavescit: nullus apricot  
 Bacchus alit colles: nec per campestria currunt  
 E summis rigui delapsi rupibus amnes.  
 Nec lætam sylvæ præbent pastoribus umbram:  
 Atque ær gravis est, & non tolerabilis æstus.  
 Verum tot Cæli, steriliisque incommoda terræ  
 Æqua parens rerum compensat divitis undæ  
 Muneribus Natura. imo sub gurgite mille  
 Agmina Concharum vada per Crystallina ludunt.  
 Non alibi tantæ felici è Tethyos alveo  
 Proveniunt Orientis opes: captatur opum vis  
 Plurima, & ingentes gazæ: cognomine terram  
 Piscatu è multo appellant Halieutica Graij,  
 Quâ nulla est gemmæ sæcundior. O! ubi, qui me  
 Doris Eoa, tuas delatum sistat ad undas,  
 Taprobanes inter gemmantia litora, & oram  
 Undique baccatam nitidis Halieutica gemmis.  
 Hic ego Conchifero scrutarer in æquore, dives  
 Doris ubi pleno lactantes ubere Matres  
 Educat, atque citus raperem Cælestia dona:  
 Dona quibus (sint illa suo donata nitore)  
 O nostræ Telluris amor, pulcherrima Virgo,  
 Et clarum Cæli decus, & spes unica Divùm  
 Divino ferrum capiti, colloque monile  
 Candenti facerem tibi plurimus: ò age, vota,  
 Si quicquam mea dona placent, Regina, secunda.  
 Verùm age, non reliqui lateant qui divite gaza  
 Gemmascunt splendente sinus, Conchylia jaçent  
 Doris Eoa, 1 Ophyren quæ perlucit, atq; 2 Cyamben,  
 Et Corym, & 3 Chrysen, & fluctifragâ 4 Perimunden.  
 Luciferos etiam carpunt 5 Solenas ab alto  
 Velligeri Seres, & qui tenuere beati  
 Dites Eoo sepostas æquore Sindas.

*Alij sunt  
 in quibus  
 uniones.*

Nec

1, 2, 3, Vide VIII. Naut. 4 Insula Eoi maris. 5 Sic etiam  
 appellantur Concha Margaritiferæ.

Nec conclusa Thetis divino munere Cœli  
 Nostra vacat: patrio nascuntur gurgite gemmæ.  
 Carpit Iber nitido sub marmore: carpit & Afer  
 Quique levi vectus cymba tua litora, Thrace,  
 Luſtrat, & oſtriferi fauces præſentat Abydi.  
 Et Germanus habet Conchas, & durus Acarnan,  
 Et regnata tenent qui mollia rura Palantho.  
 Sed quæ perpetuis denſatur nubibus æſr  
 Axe ſub Arctoo, plures nant Doride Teſtæ,  
 Quæ lætas pariunt baccas, glacialis Hiberne  
 Plurima diſceſcit gemmis, niveique Britanni,  
 Qui ſuperum tenuere latus, candentque pruinis.  
 Sed jam me maria alterius diſſiſſima Mundi,  
 Gemmiferique vocant amnes, atque oſtrea verſant  
 Divitias mihi læta ſuas. Curiana coruſcis  
 Dicia ſunt gemmis, Parizque uberzima regna,  
 Quæ paſſim molles pueri, teneræque puellæ,  
 Atque viri, atque ſenes, maerumque ignobile vulgus  
 Gemmatos per colla ferunt nigrantia torques.  
 Non illis pretioſa tamen ſunt dicia Cœli  
 Munera: ſed vili gemmas pro merce volentes  
 Permutant, parvoque æquant Conchylia vitro.  
 Ipſanocet, quanquam pretioſis, copia rebus:  
 Laudantur quæ rara, alioque ex Orbe petuntur.  
 Flumina quin etiam Conchas, & ſtagna, lacuſque  
 Producent: non tantum auro generoſa ſuperbit  
 Unda Tagi, niveos pariter devoluit Elenchos:  
 Et Ganges gemmis diſſiſſimus, & vagus Indus,  
 Atque 1 Adamas, & 2 Tindus, 3 Amazoniumque fluenti.  
 Nec tantum nitido argento pellucidus 4 ille eſt,  
 Occiduo per vaſta mari qui labitur ora,  
 Dives alit Conchas. Scythicæ Telluris ad Ortum  
 Et facer Auroræ lacus ingens, latè ubi fundo  
 Candida luciferæ progignunt pignora Matres.  
 Tales Indus habet ſtagnanti flumine Lama,  
 Atque Manus, Lotharique legunt per ſtagna ſecundùm  
 Sylviferi montes 5 Vogeli: Boijque nivoli,

P 4

Quos

1, 2, Flaviſ Indiz vide VIII. Naut. 3 Americæ fluvius Rio  
 dell'Amazoni. 4 La Plata. 5 Montei di Yango.

Qui etiam  
 in Mediæ  
 terrarum.

In Arctico  
 Mari pro-  
 creantur.

In Ameri-  
 ca ingens  
 nationum  
 copia.

Qui fluvii,  
 & lacus  
 conchas ha-  
 bent.

Quos nigris latè perplexa Hercinia sylvis  
Ambit, & Arctoꝝ circumstant frigora Brumꝝ,  
Atque alij; nec fas percurrere singula versu,  
Æquoraque, fleviosque, & stagna sonantia rivis,  
Divitias quibus ipsa suas Natura locavit.

*Quo tem-  
pore Unio-  
num pisci-  
tio .*

Post hinc digressus, Cœli quo sydere lætas  
Piscari liceat per Eoi cœrula Matres,  
Expeditam . Clarum stellis, & vellere fulvo  
Cum vesp̄rem Helles Cœlo fulgere sereno  
Aspicias, pluvioque Hyades abscondier astro,  
Incipe Neptuni regnum lustrare profundum,  
Et legere Auroræ lacrymas, cœlestia dona.  
Nec mora spumosa perquiterè Doridos antra,  
Læta ubi gemmiferæ condunt sua pignora Testæ;  
Quandoquidem Conchis aptissimus ille legendis  
Mensis erit, sequiturque retrò qui proximus illum;  
Donec ab Oceano surgat Jovis armiger ales,  
Atque rudes puer in 1. præsepia ducat Afellos;  
Nam tunc cœlesti libato nectare Matres,  
Maiori turgent utero, & maioribus astris.

*Quando ad  
Taprobantē  
instauranda*

Taprobanen iuxta, ditemque Haliëuticos actam,  
Cum nivei cernunt assurgere sydus Oloris  
E pelago, & nitidis per Cœlum incedere pennis,  
Sese aliò gemmata ferunt examina Matrum,  
Sylva ubi cœruleis florescit lætior umbris,  
Plurima muscosis surgit quæ confita faxis.  
Tu quo mora ferunt sese agmina, cum citus astro  
Arcturus claro consurget, & aurea vœctat  
Plaustra sequens, Helicenque, Lycæoniosque Triones,  
Corripies, piscator, iter: se plurima quando  
Expectat captura, sed ut vindemia prælis  
Jam silet, Octobre exacto, tua tecta revives  
Cum præda, atque foci Hyemes durabis aquosas.

*Prima pif-  
cario veti-  
bus fit .*

His animadvertis, instat iam tempus ab alto  
Convectare mari prædas, artemque, modumque  
Præcipio . Noto primum de litore in æquor,  
Quæ Matres spumosa secant freta, retia solve:

11.

1 Stella nebuloſa , quam propè duæ Stellæ dicunt Afelli , seu Onifci.



Illam autem medias pelagi mittantur in undas,  
 Ut multam ex alto referant tibi gurgite gazam.  
 Nam protensa brevi si retia rara rudente  
 Des pelago, vicina tenent quæ litora Conchæ  
 Exigua in prædam venient: quæ cærule longè  
 Alta secant, fugient tua retia. sæpe profundum  
 De cymba sua lina jacet piscator in æquor.

Sed prius ostriferi cingas quam ditia Nerei  
 Marmora, nudus aquas subterlabare natatu:  
 Hic ubi gemmati subeant tentoria Reges,  
 Et quæ compellant splendentibus agmina signis  
 Per liquidos Glauci campos, & regna, notato.  
 Nanque apibus veluti Regem natura creavit,  
 Qui rutilis ardens squamis, & pulchrior alis  
 Emicat, & turmas inter supereminet omnes:  
 Illum aliæ venerantur apes, stipantque frequentes  
 Turmatim, & circum festivo murmure plaudunt.  
 Non aliter Regem gemmatis provida Conchis  
 Constituit, cui turba minor per cærule regna  
 Serviat, & longo tractu comitetur euntem.  
 Ille colorati dux agminis: ille gubernat  
 Gemmiferas per læta acies vada: perque patentes  
 Oceani tractus: examina ponè sequuntur  
 Mille ducem: piæisque nitent lita tergora guttis.  
 Sed queis tu Regem valeas cognoscere signis,  
 Accipe. quæ reliquis maior se corpore pulchro  
 Effert Concha, notis variata, ostroque rubescit  
 Plurima, quam circum Titanidas ire sorores  
 Stipatas acie spectas, regit illa phalanges  
 Luciferas: illam famulantibus agmina signis  
 Per vitreos læto comitantur murmure campos.

Ergo ubi Neptuni per regna errare videbis  
 Concharum Reges, illos indagine cinge  
 Sollicitus: nam turba mari numerosa profundo  
 Captiva in litus venit: gens tota tyrannos  
 Insequitur vincetos, ultroque in vincula Regum  
 Prona ruit stellata cohors, gaudetque ligari:  
 Nec iuga, quæ Reges subire, subire recusat.  
 Usque adeo magnum est, & perquam nobile Regum  
 Fortunas, & fata sequi: cum piscibus ipsis

*Concharum  
 reges pri-  
 mum in-  
 quirendi.*

*Quo pacto  
 dignoscantur.*

*Regibus  
 captis fac-  
 ile reliqua  
 capientur.*

Hunc

## 234 HALIEUTICORUM

Hunc stimulum dederit Naturâ, hunc laudis amorem,  
 Ut sibi turpè putent capto sine Rege vagari.

*Hæc hæc  
 exposta pi-  
 scatio non  
 multum  
 laudanda.* Ast hæc piscandi ratio per cæcula jactis  
 Retibus, ingentes quanquam de gurgite prædas  
 Devehat, & facili constet captura labore,  
 Haud multum, cupido quamvis, laudanda magistro est.  
 Nanque ubi Ver geminum plures in retia Conchas  
 Immisit nodosa, famemque explevit avari;  
 Vix tenuem posthac prædam concedet habendam;  
 Sive quod exhausta piscatu Doride multo,  
 Infœcunda maris reddantur cæcula: seù quod  
 Semper avaritiem Natura, & damnat, & odit.

*Aliter pis-  
 candi mo-  
 dus urind-  
 do.*

Ergo tibi (potior sit & hæc captura) sub undas  
 Insiliat citus Urinator, & æquora subter  
 Perlustans pretiosa legat de gurgite dona:  
 Sed quibus instructus campo se credat aquoso,  
 Præcipiam. Duplex spumantibus anchora cymbam  
 Instabilem tibi fundet aquis: sed decolor Indus  
 Piscator geminum demittit in æquora saxum  
 Hinc, inde, è prora, puppique, ligatque rudente.  
 Mox cymba è media subter longissimus æquor  
 Funis eat, clavoque trabi firmetur acuto:  
 Et funem lapis in pontum trahat, aut grave plumbum.

*Et qua avo-  
 se perage-  
 sur.*

His actis, cui forte datum perquirere Nerei  
 Undosi regnum, saxum sic subliget imo  
 Grande pedi, facile possit quò tollier uno  
 Impulsu cruris, cum tempus, & ipsa petit res.  
 Atque olli latum succingat mantica pectus  
 Lintea, qua prædam condat furatus opimam.  
 Demittunt alij contextos vimine qualos  
 E cymba: quos inde graves de marmore Conchis  
 Divitibus socij educunt. Sed tempus Eoa  
 Ire peregrinas captare è Doride gazas.  
 Ergo nudus aquas sese Urinator in altas  
 Vibret, & Oceanum se mittat ad usque profundum,  
 Extremo subnexa pedi quò saxea ducunt  
 Pondera: felices & quæ candescere Matres  
 Aspectat, celeri contendat adire natatu,  
 Sublectamque manu Nereo de divite prædam  
 Litorea citus in perâ, qualove recondat.

At

At Conchis ubi jam multis onerata fatiscit  
 Mantica, proijciat saxum de crure, rudentique  
 Adnixus, cymba pendet qui tensus ab ipsa,  
 Ac fluctus pedibus pressans, se lætus in auras  
 Mittat, & ætherei verset sua præmia rotis.

Sed quæ Conchytiis vitanda pericula cautis,  
 Quoque modo, paucis, animos adverte, docebo:  
 Innumeri circum Conchas spumosa per alta  
 Turmatim Vituli cursant, turpesque nefando  
 Ore canes, latè horrendo qui cæca latratu  
 Antra replent, bifidaque secant freta cærule cauda.  
 Hos Tuberones Indi cognomine dicunt.

Qui vitreos servant saltus, opibusque superbis  
 Invigilant, furesque procul latratibus arcent.  
 Nam velut extremo sylvæ sub Atlante repositæ  
 Hesperidum, rutilus semper nemora aurea pomis,  
 Servantur longo saltu, & custode Dracone,  
 Qui rictu, & squamis, immanique horridus ore  
 Excubat, & longè lucos formidine replet.  
 Sic diris pariter canibus, monstribusque marinis  
 Divitias pelagi servat Neptunus avarus.

Has Indi suevere (canunt si vera) rapaces  
 Thesalico de more feras vincere canendo.  
 Nescio quæ pressa decantant carmina voce,  
 Cum matutino Cælum rubet igne: repente  
 Attoniti fugiunt, Vitulique, Canesque nefandi.  
 Sed cum Bepyrri juga deserit Hesperus, & cum  
 Membra fatigati curant per litora nautæ,  
 Carminibus revocant multis, & vincula solvunt:  
 Ne clam nocturni irrumpant freta ditia fures,  
 Ac lætas populentur aquas. tu ne pius artes  
 Thesalicas, magicosque modos, nec carmina cura,  
 Carmina Tartareo quæ sunt devota tyranno.  
 Auxilium sed posce Deos: felicius illi  
 Divitibus præculè Conchis fera monstra fugabunt.  
 Sed qui supplicibus votis, precibusque vocandi,  
 Accipe. Cælicolùm primum reginâ, marisque  
 Virgo parens, uno quæ temperat æquora nutu,  
 Atque Canes ditione premit, furibundaque Cete.  
 Cui tu gemmiferæ servatus pignora Matris

*Quæ peri-  
 cula inter  
 vitæ condum  
 vitanda  
 sunt.*

*Indi canes  
 excantant.*

*Atq; præ-  
 cibus ad  
 Divas supp-  
 arcenti.*

De-

236 HALIENTICORUM

Dona ferēs, dignam capiti factura coronam.  
 Hinc tibi SABERIDES magno clamore vocetur;  
 Nam regit Oceani fluctus, regit & fera monstros  
 Et quem præsentem toties in vota, precesque,  
 Ac facilem sensere, cavā trabe qui mare currunt  
 Eoum Persæque, Arabesque & Iapones, & qui  
 Taprobanen, Sindasque colunt, dicesque Baruffas.

Insuper, ut Phocas celeri adventare natatu  
 Aspectat Conchyta, vado se protinus imo  
 Emittat, sociosque iterum, cymbamque revisat.  
 Præterea egregio quoniam sunt prædita sensu  
 Ostrea, non multus fiat fragor æquore summo,  
 Ne celeri dilapsa fuga se cæca recondant  
 Antra per, & scopulos, vel murice subter opaco,  
 Aut condensa inter virgulta, nemusque profundum.  
 Quin etiam magnæ gravidis quia matribus iræ,  
 Cum dulce ex utero pignus sensere revelli  
 Neu dextram, dum venter hiat, festinus acuto  
 Admoveas ori, nanque acri protinus ira  
 Præcident rabidæ digitos, fundentque venenum.  
 Tantus amor proliis servandæ, & gloria gemmæ.  
 Sæpè manus miseri præsecti dentibus Indi  
 Effudere rubro permixtam flumine vitam:  
 At pretium gemmis fecere: nitentior illa  
 Et pretiosa magis visa est, quæ sanguine multo  
 Piscantis stetit: Heroum cæu nobilis illa  
 Censetur, duro quæ venit adorea Marte  
 Cædibus è multis, exantlatisque periclis.

Nec minor ille labor fluctus penetrare profundos,  
 Maior ubi stat præda, sinu quam Doris avaro  
 Occulit ima suo, atque immensis submovet undis.  
 Ergo colorati subeunt qui cærulea nautæ,  
 Viribus egregijs, & forti corpore præstent,  
 Ut multum Nereo valeant durare sub alto:  
 Velocique agiles vada salsa secare natatu.  
 At quia difficile est vitales ætheris haustus  
 In longum cohibere, undasque arcere fluentes;  
 Idcirco durâ concludit forcipe nares,  
 Atque aures Indus patrio perfundit olivo,  
 Quò, mirum, prohibetur aquæ via: siye bitumen

Au-

*Fragor vi-  
saudis.*

*Nec hian-  
tes capien-  
da, nam  
secus ma-  
num præci-  
dens.*

*Qua se ar-  
se Urina-  
tor munit,  
ut longum  
in mari  
duret.*

Auribus inspergit. sunt qui non dente tenaci  
Volsellæ nares stringunt: sed cornea figunt  
Buccina, quæque cavis exactè naribus infint.  
Ipsi etiam è cymba, ut motum videre rudentem,  
Piscantem socij, deducto fune, reducant.

Quin & piscanti semper sit maxima cura;  
In primis regem comprehendere, nam duce capto,  
Totum gemmiferæ gentis captabitur agmen.  
Ceu qui dura gerunt Mavortis in æquore bella,  
Ipsum densa ducem medijs per tela, per hostes  
Aggrediuntur equis velocibus, & cita vibrant  
Spicula, candentesque globos ex ære tonanti.  
Nanque illo, facile est acies dispergere, cæso.  
Ille dolos sentit venantis, & ille cohortes  
In secura maris loca ducit, & horrida subter  
Denforum nemorum, aut rupe in pendente recondita  
Illo sed capto, subita formidine Matres  
Correptæ, quo castra loco figenda reposito  
Conveniat, trepidis vel quæ se vertere signis,  
Ignorant, metuuntque sibi sine rege. sub altis  
Non secus ac fido sylvis, custode perempto,  
Attonitæ fugiunt pecudes, nec certa sequentes  
Signa ducis, medijs dispersæ saltibus errant.

Hic neque tranierim tacitus, quod sedulus ipse  
Non cura leviore nota: cum Conchea carpis  
Munera, captarum palmis arctissimus ora  
Contineas Matrum extemplo, nam protinus illæ,  
Ni facias, baccam demittent: scilicet ipsam  
Ne captæ peccant juvat usque amittere gemmam.  
Non secus ac alacer cum per sylvas fugacem  
Castora veloci cursu, jaculisque fatigat  
Venator, rabidaque sequuntur fauce Molossi.  
Ille ubi spes præcepta fugæ, se fervidus ira  
Impetit, atque suis sibi dentibus inguina mordet:  
Quaque petebatur cursu venantis anhelò,  
Fundit odoratam præcisa per inguina gazam.

At nunc Arctoïis quæ fluctibus arte Britanni  
Turmatim extremi capiant Nereida Concham,  
Dicamus. Juvat ætherei de semine roris  
Lucida, Valliadum Princeps, tibi plectere sexta,

*Res primò  
comprehen-  
dendus.*

*Cum primò  
Concha ca-  
piuntur, oc-  
cludenda  
secus unio-  
nem equi-  
ent.*

*Quo passo  
apud Bri-  
tannos u-  
nionum pi-  
scatio insti-  
gnatur.*

882

Serta, quibus niteant regalia tempora: nam te  
 (Non sunt magnorum, nec fiene irrita Divum  
 Promissa 1, & Phœbi non me cortina fefellit)  
 Accipiet rursus cum Patre Britannia regem:  
 Externos domini mores pertæsa superbi.  
 Et reduces tecum Superos, rectumque, piumque  
 Amplectetur ovans, & avita in sede locabit.

*Ad Vallia  
 Principem  
 apostrophæ.*

Editus in lucem si vix, puer auree, sedes  
 Regnatas tot avis, tot & annis deseris, inter  
 Plebeios latitans cultus; pelagoque remenso,  
 Externas chara profugus genitrice sub oras  
 Descendis, ludisque alienâ parvulus aula:  
 Tristitia cœpta quidem: sed quæ Fortuna sequatur  
 Ingens, successusque habeant per maxima rerum.  
 Tu, puer, ut matura virum te reddidit ætas,  
 Perque hostes fusos certamine, perque rebelles  
 Infernes iter ad palmas, victorque tenebis  
 Regna tibi patrum titulis debenda, vel armis.  
 At, generose puer, nitidis Victoria pennis  
 Ut venit, belloque omnem tremefeceris Atæon,  
 Cura tibi sit prima, Deos in templa Latinos,  
 Et cultus revocare pios; ductoribus istis,  
 Victor Hyperboreo semper dominaberis Axe.  
 Interea fertum stat circumtexere baccis,  
 Et niveo torquem collo, memorabile textum.

Litoreas propter ripas vada læta quaterni,  
 Aut quini subeunt humero tenus, inque rotundum  
 Dispositi orbem circumstant: manus altera contum  
 Sustinet infixum fundo, quod firmitus ipso  
 Vortice consistunt: hinc quæ se lumine produnt  
 Cendenti Matres, & vericoloribus astris,  
 Vestigant oculis: nactique sub æquore, mira  
 Arte pedum digitis comprehendunt molliter uncis,  
 Czruleis qua crebra plicis flexura coruscat.  
 At socij vacui dextram de gurgite prædam  
 Sublectam subiti accipiunt, conduntque canistris.  
 Sed pars extremi superest properanda laboris

Ni-

1 Vaticinia scilicet Davidis Episcopi Anglosaxonum, quæ ad Iacobum Regem, & eius filium spectare ferunt.

Nimirum rutilas quæ Matrum educere baccas  
 Arte queas utero, & pulchra ditescere gaza.  
 Vicino primum niveas in litore Conchas  
 Expandes, rapido siccandas lumine Solis.  
 Nam sic læta aperit cum fauces arida Mater,  
 Sponsæ sua gemmas diffundet ab ore nitentes.  
 Qui semota colunt Perimundæ litora, multo  
 Aspersos sale doliolis sine Naiade dulci  
 Candentes ponunt Solenas: & inde ubi longo  
 Tempore defluxit sensim caro tabida Conchæ,  
 Unio in ætherias mittit se candidus auras.  
 Ast Indi, alterius freta qui ditissima Mundi  
 Percurrunt, vasto quæ gurgite submovet Atlas,  
 Igne coquunt Conchas, cum primum è fluctibus illas  
 Eduxere: suus sed non color optimus inde  
 Provenit, aut lævor baccis, nec tempore longo  
 Fulgescent, quia sponte sua cum decidit humor  
 Gemmeus, egregio præstans candore coruscat  
 Lævior, & longo nunquam consumitur ævo.  
 Non secus ac dulci veniunt dorata sapore,  
 Quæ non invita carpuntur ab arbore poma.

Nunc age, qui primus Titanidis aurea nobis  
 Auroræ ostendit divino numine dona,  
 Atque artes tulit egregias, inventaque mira,  
 Expediam. Vati vos, o Chryseides, & vos,  
 Agarides, monstrate viam per cæcula Divæ.  
 Vos adyta, & pelagi sacros recludite fontes;  
 Nanque, Deæ vos estis, & alti Numina ponti,  
 Numina, queis humili curvantur vertice fluctus,  
 Et posito clangore Noti famulantur, & Euri.  
 Fas mihi divitias Nerei, monstrataque Divum  
 Munera, & ignotas ab origine pandere causas.

Extremo quondam, ut perhibent, piscator Eoo  
 Agaridum de gente fuit, cui nomen lantho,  
 Chrysiroë flava genitus Gangeride Nympha.  
 Ore puer formosus erat: duo sidera fronti,  
 Et pulchra totidem fulgebant Iride gemmæ:  
 Plurima purpureis vernabat gratia labris,  
 Admixtoque genæ sparsim candore ruhebant:  
 Et dulcem ex oculis, tenerumque afflabat amorem.

Sed

*Qua arte d  
 Conchis u-  
 niomer edu-  
 cendi.*

*Infantis Pa-  
 bulbæ, qua  
 Margarita-  
 rum pesca-  
 tio primis  
 invenita est.*

Sed pietatis amans, illibatique pudoris  
 Acer erat custos, & servantissimus æqui.  
 Illum autem Drymo Agaridum pulcherrima Nympha  
 Ardebat: thalamoque sibi sociare jugali  
 Optarat precibus multis, & mollia sæpè  
 Verba dabat, si fortè animum submittere amori,  
 Coniugijque sacras possiet succendere tædas.  
 Ille preces Nymphæ averfatus, & aurea verba,  
 Non thalamos quidquam curat, nec munera Sancti  
 Coniugij: fixum est animo servare pudorem.  
 Ergò ubi Nympha preces, & verba effundere ventis  
 Cognovit, nec posse animum mollire querelis,  
 Extremum miseris restât quod rebus in arctis,  
 Supplicibus tandem aggreditur pia Numina voris.

Trans magnum Oceanum, & fines Telluris Eoz,  
 Exoriens quâ prima dies mortalibus ægris  
 Affulget, radijsque beat fulgentibus Orbem,  
 Stat niveis latè centum suffulta columnis  
 Auroræ domus alta, Poloque æquata supremo  
 Assurgit, multa Superum spectabilis arte,  
 Atque opibus dives multis. Stat desuper ingens  
 Argento è nitido tectum: sed concava subter  
 Intermixta vago scintillant lumine mille  
 Sydera, flammantes radijs imitata Pyropos.  
 Ex adamante, & fulva assurgit Iaspide murus,  
 Cæruleis sparsum punctis distinctus, & ostro.  
 Cælati intexta rosis, multoque rubescunt  
 Flore pavimenta: at flavo splendescit ab auro  
 Latè cardo, foresque auro radiante renident.  
 In medio delubra Deæ fulgentia gemmis  
 Bis senis Cælo surgunt subnixa columnis:  
 Perpetuis ubi mille ardent laquearia flammis  
 Balsamino liquore, sacre quæ pignora sylvæ  
 Dant Arabum, semperque altaria thure vaporant.  
 Huc se cæruleis investa per æquora bigis  
 Fert Drymo, precibusque Deam compellat amicam.

Mater Eos, quæ prima diem, lucemque reducis,  
 Lætitiâque simul paris, & nova gaudia Mundo,  
 Affer opem miseræ, & nostro succurre dolori.  
 Tu, Dea, præduram pucti da flectere mentem,

Qui

*Aurora do-  
 mus descri-  
 bitur.*



Qui dulces spernit thalamos, & fœdera sancti  
 Coniugij, fastuque preces, & dona superbo  
 Contemnit Nymphæ, magno quæ sanguine Divùm  
 Creta est, & Divos inter, Nymphasque sorores  
 Agaricis latè dives dominatur in undis.  
 Nè sine mortales tantùm se tollere fastus,  
 Connubia ut Divùm contemnant. O age, Mater,  
 Tende manus, Drymusque tuæ miserere precantis.  
 Non votis injusta peto, aut inhonesta: neque unquam  
 Furtivum, vos, Dij, testor, meditata furorem,  
 Legitimum peto coniugium, & Sanctos Hymenæos.

Talibus orantem dictis Aurora repostis

Audijte ex adytis, Drymoque affata precantem est.  
 Ne dubita, Drymo, sanguis meus: ipsa ego pacem,  
 Auxiliumque feram certum. De gurgite gemmas,  
 Pignora quæ lætæ pariunt cœlestia Matres,  
 Et nostras olim lacrymas, nunc munera ðolis,  
 Accipe, & aurati transfer te Gangis ad ora.  
 Hic tibi nativam divini rotis in undam  
 Acre coruscantes gemmas dissolvat acetum.  
 Amplaque gemmato replebis pocula succo.  
 Non procul è fluvio, suavi quæ gutture Cycni  
 Sæpè volant, replentque suo latè aëra cantu,  
 Saxo in pendenti jacet antrum, & desuper ingens  
 Sylva viret, rauco Zephyri quæ pulsa susurro  
 Optatos revocat vocali murmure somnos:  
 Hùc puer Oceano se se deducit ab alto,  
 Et dulces somnos, frigusque inquit opacum,  
 Cum Sol incandet, medioque altissimus Axe est.  
 Hic gemmata super musco carchesia pones  
 Vestibulum ante ipsum, textumque è divite baccà  
 Constitues juxtà torquem, quibus illicet actis,  
 Antra pete, & penitus te aversam à lumine conde.  
 Nanque ubi piscatu è multo defessus lanthus  
 Adveniet, diique bibet nova pocula roris,  
 Duritiem ex animo ponet, fastumque superbum.  
 Quin etiam miro baccarum lumine captus,  
 Noscere quæ sint, & Superum quod numine missæ,  
 Optabit. Tunc ipsa adytis egressa repostis,  
 Erudies puerum, & nostros dic, Nymphæ, dolores.

Q

Adde

*Unio acetum  
 dissolvitur.*

*Vitrivius.*

242 HALIEVTICORVM

Adde & divinas artes, quibus æquore ab imo  
 Cælesti educat prægnantes ubere Conchâs.  
 Ipsa adero, & teneros afflabo numiue sensus.

Hæc dedit: & dium Nymphæ inspiravit odorem,  
 Atque novam fronti lucem, & decus addidit ori.  
 Illa avibus levior, volucrique simillima vento  
 (Et volucrem faciebat amor) spumantis apertum,  
 Haud mora, cotripuit maris æquor, & humida subter  
 Cærule devenit, niveasque in gurgite testas  
 Legit, & actutum sistit se Gangis ad ora.  
 Diluit hic gemmas, & dio pocula succo  
 Ante fores repleta locat, juxtaque sub antro  
 Intextum ponit torquem Oceanitide bacca.  
 Hinc antro in medio se averfam à luce recondit.

Force, & jam consueta petens loca pulcher Ianthus  
 Tendebat, Charites puerum comitantur euntem.  
 Utque antro propius successerat, aspicit antro  
 In medio gemmata sacri catthesia rostris:  
 Ignarusque doli, sistenti protinus ore  
 Nestaris exhaurit cratera, bibitque venenum.  
 Hinc & mirari candentes lumine gemmas  
 Incipit attonitus, nimioque ardescit amore  
 Noscere quæ sint, qui tulerit nova munera Cæli,  
 Sive aliquis nostro de semine, sive Deorum.

Tunc Dea speluncæ ex adytis egressa repostis,  
 Matutina velut cæcis Aurora tenebris:  
 Aut ubi cum densa lacus sub nube, coruscat  
 Exemplò Sol, & terram splendoribus ambit,  
 Ibat odorifetis conspersa liquoribus, ibat  
 Mæandro undantem multo diffusa capillum  
 Per nive candentes humeros, & lactea colla.  
 Ora rubescebant minio depicta decenti,  
 Perfusus sed candor erat mundissimus ostro.  
 Lilia purpureis veluti permixta rosetis.  
 Conchea quin etiam candebat plurima bacca,  
 Marmoreo adiunctum collo decus, atque lacertis.  
 Ut Divam aspexit venientem pulcher Ianthus,  
 Restitit, heu! visusque animi mutatus ab illo est.  
 Quem non magnanimum devicit forma pudorem,  
 Si semel illa oculos tenuit conspecta morantes?

Obtutu

Obtutu è primo fugiat, quicumque pudicus  
 Esse velit, levis ipsa nocet mora. Dia maritum  
 His tunc alloquitur dictis, & munera Cœli  
 Quæ sint, quoque modo carpenda è gurgite dicit.

Filius Auroræ fuerat cognomine Memnon,  
 Ora niger: sed pulcher erat, nam plurimus ossi  
 Ardebat fronti fulgor vivacius igne:

Qualis gemma nitet Carbunculus, & face multa  
 Irradians, noctem terris depellit opacam.

Egregiæ qui laudis amans Trojana sequutus  
 Arma, pharetratas Indorum in prælia gentes  
 Ilion ad magnum, Phrygiæque ad litora vexit,  
 Auxilium Priamo laturus. Ovantia sæpè  
 Hic puer in bellum victricibus agmina signis  
 Egit, & edomitis retulit spolia ampla Pelasgis  
 Sed cum divinum tandem tentasset Achillem,

Ah puer infelix! ferro transfixus acuto  
 Occidit, in cassum contra conantibus Indis,  
 Ut puerum Fato eximerent, manibusque ferocis  
 Pelidæ. sua quemque dies manet, & sua fata:  
 Nec virtus, neque vis duris obistere Parcis  
 Ulla potest, iterum non & revocabilis ordo est.

Et jam Tithoni linquens Aurora cubile,  
 Non pexis de more comis, nec concolor ostro,  
 Sed ferrugineis surgebat lutea bigis,  
 Venturi cœu gnara mali, cum Vespere ab atro  
 Flebilis Idææ referens insigne cupressi,  
 Conspectus lentis properare Favonius alis.  
 Illicet inspecta ferali Aurora cupresso,  
 Palluit, & reliquum defluxit ab ore decoris,  
 Obiectusque suaveristi sub imagine Memnon.  
 Quem postquam telis cecidisse immittis Achillei,  
 Audivit, confestim acri exanimata dolore est:  
 Et potèrat perijisse, citæ nã protinus Horæ  
 Conatæ dominam manibus fulcire labantem,  
 Et circumstantes fovissent flatibus Auræ.  
 Extemplo amissum Cœli jubar, atraque retro  
 Nox iterum profugas vertisset ab æquore bigas:  
 Ni tempestivè poscens ad fræna jugales,  
 Ianque fatiscentem reparasset lumine Mundum

Q 3

Phœ-

*Aurora N  
 hinc dicitur  
 non.*

Phœbus, & obducto pepulisset ab æthere nubes .  
 Verum ubi cæruleis emerfit currus ab undis,  
 Ut Sol Auroram lacrymarum ex imbre madentem  
 Vidit, & è Zephyro fatum cognovit iniquum,  
 Constitit in medio cursu, frænoque jugales  
 Præcipites tenuit, radijsque effulsit opacis.  
 Aspectu quo summus apex concussus Olympi  
 Intremuit, totusque timens expalluit æther .  
 Hinc casus cupiens solari Marris acerbos,  
 Rorantes reduci perfundens lumine guttas,  
 Protinus in niveas iussit concreescere Gemmas.  
 Sic lacrymis, Aurora, tuis, pretiumque, decusque  
 Multum Memnonio venit de funere. rores  
 Deciduos avido ceperunt gutture Conchæ,  
 Miratæ insolitas utero candescere baccas.

*Lacryma  
 Aurora in  
 unione  
 mutuantur .*

Hinc Dea multa super Gemmis, & Matribus addit,  
 Dum captus sermone suas puer applicat aures.  
 Ut matutino rorantes tempore guttas

*Concha ve-  
 re epoto  
 unione  
 concipiunt.  
 Plinius, &  
 Solinus.*

Ore bibant, potoque tumescant nectare Conchæ.  
 Mox niveam pariant sobolem; nam Vespere rorem  
 Si libant, rufam gignunt, maculisque nigramtem.  
 Utque coruscantis concussæ fulminis ictu,  
 Sæpè repentino, fœtu reddantur inanes .  
 Præterea purus Cælo si defluat humor,  
 Unio candescat; verùm si turbida rorem  
 Stillat Eos, sparsim maculoso palleat ore .  
 Insuper ut calidi metuentes lumina Solis,  
 Subsidant imis in fluctibus, igneus Orbem  
 Dum Sol incendit radijs, atque altior hora est.  
 Nam nimius gemmas calor inficit. Ueque profundas  
 Quæ gaudent pelagi Matres errare per undas,  
 Concipiant multo sobolem candore coruscam .  
 Difficiles docet hinc artes, quibus auræ carpat  
 Dona manu, ditemque ferat de gurgite prædam .

Unio sic primum de Doride venit avara,  
 Atque amor inventi primus fuit author, & artem  
 Egregiam è Nympha pro dote accepit Ianthus .

Sed jam, CARDENIDE, explevi tua maxima iussa,  
 Difficilesque artes Piscandi, & Retia, & Hamos,  
 Et varios etiam Pisces, Testasque canebam;

Aufus

Ausus & Eoo decerpere ab æquore Gemmas,  
 Exili, duce te, vectus super alta phaselo:  
 Nunc materna redux advertam ad litora proram:  
 Aætiaeque levi cum cymba proximus 1 oræ  
 (Nam supra in sacras vetitum se tollere 2 laurus)  
 Succedam, longo sed proximus intervallo:  
 Quà me Nereides, bona Nefis, & omnis ovantum  
 Cætus Olympiadum virides invitat ad umbras:  
 Emeritaque ardet mihi tempora cingere myrto.  
 Ipse & cærulea ponti spatiat in unda,  
 Sirenes, niveosque inter Delphinas Apollo,  
 Jam nemus argutum Cyrrhæ, sylvasque relictas  
 Purpureo dives ramo, gemmisque revifit.

1 Nimirum ubi Mergillina Synceri villa. 2 Ad extremum Olym-  
 piæ oræ (*Chiaia*) supra cryptam, quæ Puteolos ducit, est Virgilij tu-  
 mulus, quem juxta sponte natam olim laurum, & per multos annos  
 floruisse memoriz proditum est.

FINIS.

Et.

## Errata sic corrige.

Pag. 67. ver. 5 lege ruri, & captans.

Pag. 75. versum 23 sic lege

Cumque truci jactit Accipiter 2 Coccygo venenum.

Pag. 82. ver. 23. lege Agmina Phyleter.

Pag. 133. vers. 25 leg. quisnam.

Pag. 216. vers. 17 lege Funis.

Octa-

*Octavius Caracciolus Præpositus Provincialis  
Soc. Jesu in Regno Neapolitano.*

**C**UM Librum, cui Titulus *Halienticorum à P. Nicolao Parthenio Giannettasio* conscriptum aliquot Soc. Nostræ Theologi viderint, & in lucem edi posse pro-  
haverint, potestate nobis factâ à R. P. N. Thyrso Con-  
zalez Præposito Generali, facultatem concedimus, ut  
typis mandetur, si ijs, ad quos editio librorum spectat,  
ita videbitur. Datum Massæ ad delubrum pridie Idus  
Octobris anno Dom. MDCLXXXIX.

*Octavius Caracciolus S. J. Prov.*

**I**N Congregatione habita sub die 29. Augusti 1689.  
coram Illustrissimo Domino Vicario Generali Nea-  
Politano fuit dictum, quòd Rev. Canonicus D. Anto-  
nius Martinus videat, & in scriptis referat eidem Con-  
gregationi.

SEBASTIANUS PERISSIUS VIC. GEN.

*D. Eligius Caracciolus C. R. Congy. Ind. Secr.*

ILLUSTRISS. DOM.

**L**IBER, cui Titulus, *R. P. Nicolao Parthenio Giannettasio  
S. J. Halientica*, jussu Ill. Dom. Tuæ à me lectus, &  
recensitus, dignus est ut minio, & auro exornetur, ne  
dum typis exprimat. Etenim Author à castissimo  
Mantuanò Vate haud nudam cognominis nomē claru-  
ram, sed morum, candorem, carminisque maiestatem  
est mutuatus; à Sulmonense ( testes sint poetica non-  
nulla jamdù in lucem edita) facilitatem, atque lepo-  
rem. Hinc non perfecti Ovidiani operis damna com-  
pensat, cum de Piscibus suaviter, & erudite canit: ne-  
que unam in eos Venerem, ut Hyginus in Astronomia  
fabulatur, ast quamplurimas fuisse mutatas liquidò  
ostendit. Meritò igitur mihi videtur maiora nostro  
Parthenio, quam olim illa, quæ ab Antonini liberali-  
tate erga Oppianum fuere collata, nunc præmia debe-  
ri. At licet ipse animi qua solet magnitudine, & pro-  
fessione virtutis caduca hæc respuat, & mundana con-  
temnat, Literatorum tamen omnium suffragia, nomi-  
ni tributentium immortalitatem, diffugere minime  
poterit. His igitur, Ill. Dom. Te inter Literatos Litera-  
tissi.

tissimum, jubendo castigatissimi poematis impressionem, calculum additurum certo certius mihi persuadeo. Tibique tandem felicitatem, ac sanio-rem vitam, ut est in adagijs, qua pisces ipsi fruuntur, a superis exposco. Neap. 15. Novembris 1688.

Ill. Dom. Tuæ.

Humillimus Cliens

*Canon. Anton. Matinas.*

In Congregatione habita coram Emin. Dom. Cardinali Pignatello Archiepiscopo Neapolitano sub die 7. Januarij 1690. fuit dictum, quod stante retrospectiva relatione Imprimatur.

*Imprimatur.*

SEBASTIANUS PERISSIUS VIC. GEN.

*D. Eligius Caracciolus C. R. Congr. Ind. Sec.*

---

Rev. P. D. Franciscus Maria de Asti videat, & in scriptis referat.

CARRILLO R. SORIA R. GAETA R. MOLES R.  
MIROBALLUS R. JACCA R.

---

EXCELLENTISS. DOM.

**E**xoptatis Excellentiae Vestrae obtemperaturus mandatis, *Halienticorum libros R. P. Nicolai Parthenij Giannettasii à Soc. Jesu: attentè perlegi; lucubrationes enim continent, quibus ferè totius Epicæ Poësis rudimenta omnigena eruditione, variaque doctrina enucleantur: & cum nil aut Regiæ Jurisdictioni, aut Politico regimini dissonum attingant, prælo tradi posse teor.*

Datum Neapoli in ædibus Sanctæ Matris Angelorum primo Decembris 1689.

Excell. Tuæ.

Additissimus Servus

*D. Franciscus Maria de Aste ex C. R.  
Regij Collateralis Theologus.*

Imprimatur, verum ante publicationem servetur  
Regia Pragmatica.

SORIA R. GAETA R. MOLES R. MIROBALLUS R.  
JACCA R.

*Speſtabilis Regens Carrillo non interfuit.*





005641481

Digitized by Google

